JAHR

QUAESTIONES ISOCRATEAE

QUAESTIONES ISOCRATEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE III. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXI HORA XI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS JAHR,
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
F. NEUBAUER, STUD. PHIL.
M. NAUMANN, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.
MDCCCLXXXI.

Prima quae fertur Isocratis oratio ad Demonicum conscripta, num Isocrati Atheniensi esset tribuenda, iam antiquis temporibus fuerunt qui dubitarent. Cuius rei testis est Harpocratio, quippe cuius in lexico s. v. „*ἐπακτὸς*“ haec verba legantur: *Ἰσοκράτης Ἀπολλωνιάτης ἐν ταῖς πρὸς Δημόνικον παραινέσεσιν.* Si vero cum hoc Harpocrationis loco confers ea, quae ab eodem lexicographo s. v. *παράκλησις* afferuntur: *„Ἰσοκράτης παραινέσεσιν“*, parum sibi constare Harpocratio videtur, cum eiusdem orationis modo Isocratem Appolliatam modo „Isocratem“ videlicet Atheniensem auctorem appellet. Unde facile colligitur, oppositas fuisse antiquiorum criticorum de hac oratione opiniones, alterorum eam illustrissimo illi Atheniensi rhetori tribuentium, alterorum ab eo abiudicantium, quorum auctoritate Harpocratio promiscue usus sit. Quibus autem causis illi adducti sint, ut hanc potissimum orationem ab Isocrate alienam putarent, iam non liquet, siquidem alia argumenta requiris praeter id quod hypotheseos auctor anonymus a nonnullis grammaticis prolatum esse de omnibus Isocratis paraenesibus testatur: *αἱ παραινέσεις εἰ καί τινες ἠβουλήθησαν αὐτὰς εἰπεῖν μὴ εἶναι αὐτοῦ* (sc. *Ἰσοκράτους*) *„διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς λέξεως“*. Quae sane argumentatio ut levis est, ita ipsius Isocratis testimonio infringitur, quippe qui in antidosi orationem secundam pro sua vindicet (cf. or. 15, 67 ss.).

Nostra vero aetate, quamquam reliquae Isocratis orationes paraeneticae, quae dicuntur, orr. 2 et 3, in dubium iam non vocantur, de paraenesi ad Demonicum conscripta, quae primum locum tenet in codicibus, maxima est virorum doctorum dissensio. Atque postquam Henricus Stephanus in

libro, qui inscribitur Isocratis diatribae (1593) ab Isocrate eam abrogavit, idemque iudicium Pfund in libro, q. i. „vita Isocratis“ (Progr. Joachimsthal, 1833) protulit, accuratissimam de ea re quaestionem Benseler instituit. Qui cum primo, Paulyi sententiam in libro q. i. „quaestiones Isocrateae“ (Progr. Heilbronn 1828) prolatam secutus interpolationibus investigandis et removendis orationem ut alioquin bene Isocrateam sanari vellet (cf. eius librum, quem de hiatu conscripsit, p. 36 s.), postremo ad eam dubitationem processit, ut bene examinato genere dicendi stilum eius orationis toto coelo ab Isosrateo discrepare putaret (cf. Jahnii Annal. 1860, II, p. 122 ss.). Atque etiam Blass in libro, q. i. „Attische beredtsamkeit“ II, p. 257, cum Benselero facit, etsi non omnia, quaecunque ab illo notata sunt, offensionem ei habere videntur. Schneider autem, contra cuius priorem editionem orationum selectarum Isocratearum (Lpz. 1859, Teub.) illa Benseleri disputatio facta erat, in altera eiusdem libri editione (Lps. 1874) parum operae navavit refellendis illius v. d. offensionibus. Immo quamquam ipse quoque in adnotationibus nonnullis expresse distinxit, siqua a solita Isocratis dictione recedere ei videbantur, tamen causam esse negavit, cur nunquam Isocratem paullum a consuetudine deflexisse crederemus. Multo denique fortius defensoris partes suscepit Henkel in programmate Rudolphopolitano 1877, demonstrare conatus, nihil inesse in illa Isocratis oratione, quod ei tribui non posset, multa quae vel saperent dictionem Isocrateam. Quod conamen primo quidem temerarium videri potest, postquam a Benselero non minus centum et novem voces enumeratae sunt, quae in prima tantum oratione Isocratis, nusquam in reliquis occurrant. Sed Benseler ipse viris doctis contra se disputaturis operam allevavit et quasi viam aperuit, quippe cum ipse confiteatur, in numero vocum a se notatarum inesse fortasse, quae casu quodam non ratione aliqua alibi ab Isocrate usurpatae non sint, ita ut libero cuiusque arbitrio detur e magna illa copia eligere ea, quae ab usu Isocrateo vere abhorrere putet. Itaque non miror, post Benselerum exstitisse Henkelium, qui causas afferret, quibus factum putaret, ut in hac potissimum oratione verba

nonnulla ἅπαξ εἰρημένα legerentur: vereor tamen, ne nimio patrocinandi studio et nimiam licentiam dictioni Isocrateae tribuat, et aliquot offensionibus remotis omnes removisse sibi videatur. Vel minus etiam Sandys, qui in editione orationum primae et quartae Isocratearum (Cantabr. 1872) Isocratis Atheniensis auctoritatem tuetur (praef. p. XXXI ss.), singulis Benseleri criminibus refutandis operam dat. Acquiescit enim in iis offensionibus redarguendis, quas Benseler breviter in editione orationum Isocratis (Lps. 1872) comprehendit (praef. p. IV adnot. 1), ita ut accuratiorem illius v. d. disputationem, quae extat in Jahnii Annal. 1860, II, p. 121 ss., prorsus ignorare videatur. Quae cum ita sint, non abs re esse iudico, comparatis potissimum inter se Benseleri et Henkelii argumentis denuo de prima oratione Isocratea ad Demonicum conscripta quaestionem instituere.

Atque tria sunt Benseleri crimina, quorum primum versatur in collocatione verborum, quod, sicut in codicibus illa oratio tradita est, multis locis hiatus, quem vocant, legatur, quem tamen ab Isocrate evitatum esse certissimis testimoniis constet, alterum in dictione, quod multa huius orationis verba aut alio loco ab Isocrate adhibita omnino non sint, aut in aliam sententiam dicta, tertium in dispositione, quod nullo ordine praecepta proferantur, ita ut similia a similibus quasi de industria diremta, dissimilia iuxta posita appareant. Quorum criminum primum illud quod spectat ad hiatum non multum valere, vel Blass, qui de reliquis offensionibus cum Benselero consentit, iure monuit (cf. Att. ber. II, p. 257). Quid enim facilius, quam id, quod auctori illius orationis a Benselero vitio vertitur, tribuere librariis et facillima plerumque verborum aut transpositione aut mutatione hiatum sex tantum locis a codd. huius orationis exhibitum tollere, sicut ipse Benseler in reliquis orationibus emendandis rem instituit? Nam operam navare auctorem nostrae orationis, ne verba hient, certissima indicia exstant (cf. Schneider l. l. praef. p. V). Quare missum hoc vitium faciamus, de duobus reliquis disputemus atque primum quidem de eo, quod positum esse Benseler ait in dictione ab Isocrate aliena. Nimirum haec quaestio inprimis in iudicium venire et potest

et debet, quoniam in ea diiudicanda reliquis orationibus testibus amplissimis uti possumus.

Atque primum Bensler enumerat centum et novem voces, quas in hac sola oratione apud Isocratem investigavit (cf. Jahnii Annal. 1860, II, p. 124). Henkel autem, ut nihil in ea re esse offendendum demonstret, primum nonnulla verba e tabula Benseleriana removet, quae falso ut *ἅπαξ εἰρημένα* notentur, deinde in multis offendendum esse negat, quod eiusmodi notio insit, cuius usurpandae in reliquis orationibus occasio oblata non sit. Neque tamen id mirum esse, cum alibi Isocrates verba faciat de rebus publicis, in oratione prima de privatis. Tum multae voces, quamvis ipsae quidem non inveniantur in Isocratis orationibus, nullam dubitationem movere Henkelio videntur, propterea quod quae inde derivatae sint, iterum ac saepius apud Isocratem legantur. Ut denique doceat, quam perversum sit, ex nonnullis vocibus, quas *ἅπαξ εἰρημένας* dicunt, concludere, eam orationem non esse Isocrateam, alias orationes eiusdem scriptoris perscrutatus haud paucas voces ne ipsas quidem plus semel usurpatas indagavit. Sed in hac postrema argumentandi ratione nulla omnino, ut breviter absolvam, vis inest, cum ab Henkelio ratio non habeatur, cuius generis sint illa *ἅπαξ εἰρημένα*, quae ex aliis orationibus Isocrateis collegit. Neque enim quodlibet *ἅπαξ εἰρημένον* scriptori alicui condonandum neque in quolibet offendendum est, sed eis, quibus notio per se rara exprimitur, venia danda, in dubium vocanda ea videntur, quae, quamquam notio admodum vulgaris subest, scriptor aliquis non usurpat, ita ut eum certas ob causas ea respuere paene manifestum sit. Itaque recte de Benseleri offensionibus disputari non poterit, nisi singillatim dissereretur, utrum quaeque vox ab usu Isocrateo satis multis aliis locis comprobato abhorreat an casu quodam alibi non occurrat.

Sed priusquam de iis voculis semel usurpatis, quae aliquam ob causam in hac potissimum oratione excusationem habere videantur, verba faciamus, tabula illa Benseleriana paullulum circumcidenda erit. Nonnullae scilicet voces in numerum *ἅπαξ εἰρημένων* falso referuntur, quoniam exstant

in aliis orationibus Isocrateis: ἐπιορκέω 15, 18. 18, 3. 18, 56. εἰλικρινὴς 6, 81. θαρσαλέος ep. 7, 3 (θαρραλεώτερον). προπετὴς 6, 52. 12, 272. 15, 20. ep. 2, 8. σύμμετρος cf. Mitchell index Graecitatis Isocraticae. κακοποιΐα 10, 7. 12, 122. μανικὸς 5, 65. συνήθεια 7, 57. ep. 8, 81. εὐλαβεῖσθαι fragm. δ'. 10 (Benseler ed. Isocratis orationes Lps. 1871. II p. 279). σιγή δ'. 10. μέθη δ'. 4. εἴκειν δ'. 13.

His autem exemplis, quae ut in ἅπαξ εἰρημένα referrentur a Benselero, errore factum esse putabimus, magnus numerus accedit eorum, quae quamquam ipsa quidem non inveniuntur in Isocratis orationibus, tam prope a similibus verbis ab illo usurpatis distant, ut occasione data potuisse ipsa usurpari facile animum inducamus.

ψόγος (sc. et ψέγειν usitatissima vox est Isocratea, neque substantivum μέμψις plus semel occurrit [15, 144]). τέρψις, τερπνός (τέρπω 12, 246). ἔντευξις (ἐντυγχάνω 5, 116). παράγγελμα (παραγγέλλω 11, 26). ὑπηρέτης (ὑπηρετῶ 3, 34, 63. 15, 180). θησαυρὸς (θησαυρίζω 15, 229). γραφεὺς (pictor; γράφω [pingere] 9, 75. 15, 2).

κληρονομῶ (κληρονόμος 5, 136). θηρεύω (θήρα 12, 212. θηράω 10, 59). σιτίζω (σῖτος 4, 31. 16, 13. σιτεῖσθαι 15, 95). σφάλλομαι (σφαλερὸς 7, 1).

ταμιεῖον (ταμίας 11, 13. 19, 38). ἀπεχθής (ἀπέχθεια 8, 38. 11, 3. ep. 7, 6, 64). αὐθάδης (αὐθάδεια 6, 98). βραδέως (βραδύτης 4, 41). ἀπαιδευσία (ἀπαιδεύτως 12, 218).

ἀβουλία (εὐβουλία 12, 86). ἀκούσιος (ἑκούσιος 14, 30 alibi ἑκὼν et ἄκων ab Isocrate dicitur). εὐορκέω (ἐπιορκέω 15, 18. 18, 56. 18, 3). παρακαίρως (ἀκαίρως 15, 18. εὐκαίρως 7, 30). περίλυπος (ἄλυπος 12, 5). ἐπιβάλλω (προσεπιβάλλω 6, 39).

Si vero quis ea verba, quae adhuc enumerata sunt, perlustrat, vix eum fugere potest, notiones in iis inesse eas, quibus utendi haud ita saepe occasio detur. Quid enim? quod vel derivatae illae voces, quas ad propulsandas Benseleri offensiones attulimus, singulae fere nisi singulis vel binis locis non usurpantur, ita ut vel inde appareat quantum in his rebus fortuito casui tribuendum sit, si voces illae in oratione prima sola inveniuntur.

Quod cum intellexerimus, non difficilis est transitus ad alias voces. Sunt enim vocabula, quorum notio nusquam omnino in Isocratis scriptis occurrit; neque similem eius aut contrariam invenimus. Eam ipsam tamen ob causam haec vocabula offensionem nullam habere debent: *γέλως, γελοῖος, γλῶσσα, πλησμονή, καλλωπιστής, σκυθρωπός, χαρακτήρ*. Huc adde *ἀπεικάζω, ἅρμα, ἡνίοχος, εὐθύνω, πῦρ, ὑλακτεῖν, μέλιττα, βλάστημα*: quae cum in similibus alioquin ab Isocrate non usurpatis legantur, Benseler inde argumenti aliquid sibi sumit, quo demonstret, quantopere ab Isocratea ratione nostra oratio recedat, cum moris Isocratei negat esse, magno similium apparatu uti (cf. Jahn. Annal. 1860, II p. 121). Ego tamen etsi omnia Isocratis similia ante oculos haberem et fines eorum angustis limitibus circumscriptos esse viderem, in hac potissimum oratione aliquanto maiorem ei licentiam tribuerem, quippe quae in alio campo atque reliquae decurrat. Nam cum haec oratio spectet ad res privatas, quid aequius, quam ex vita familiari similia sibi assumere Isocratem? Sunt enim pleraque ex illis exemplis de rebus rusticis vel domesticis sumpta, velut equi in § 32, canes in § 29, apes in § 52 commemorantur. Neque vero minus, quam in illis voculis, causa, cur aliis locis non adhibeantur, dilucida est in verbis quibusdam cum praepositionibus compositis. Fit enim, ut verba simplicia, quibus vis admodum vulgaris subest, copulata cum praepositionibus notionem induant artissimis finibus circumscriptam, nisi forte praepositio significationem habet verbo quodammodo cognatam. Quam ob peculiarem vim veniam impetrabunt nostrae oratinis verba *προσζημιόω, προτρέχω, συγγηράσκω*.

Sed quid singula enumero, cum in tabula illa Benseleriana tota genera verborum inveniantur, quae etsi nusquam usurpantur nisi in oratione prima, dubitationem non moveant? Nempe vocum in — *ικὸς* et — *τής* terminantium vel cum *φιλο* — compositarum singillatim unius cuiusque patrocinium suscipere opus non est, cum sufficiat provocare ad id, quod tam vaga eiusmodi verborum formandorum in lingua Graeca licentia est, ut saepe ad praesentem usum nova effici a quolibet scriptore videantur. Itaque non

offendunt *ἅπαξ εἰρημένα: ὁμιλητικὸς, παροξυντικός, προτρεπτικός; ζηλωτής, μιμητής, καλλωπιστής; φιλαίτιος, φιλεπιτιμητής, φιληκοΐα, φιλομαθής, φιλόνικος, φιλοπροσήγορος(-ία), φιλοχρήματος.*

In plerisque autem voculis adhuc allatis lusum fortunae agnoscere cogebamur, unde factum esse videretur, ut aliis locis non exstarent. Quid vero? Nonne certis quibusdam causis scriptor aliquis adduci potest, ut mente ac ratione notionem aliquam non vulgari sed elegantiore vel singulariore voce exprimat? Quod etiam in Isocratem, quamvis illustrem purissimi Atticismi, quem dicunt, auctorem et facile principem, cadere mihi videtur. Nam ipsius testimonio (or. 15, 47) uti licet, quo de sua suorumque discipulorum dictione haec praedicat: *καὶ γὰρ τῇ λέξει ποιητικωτέρᾳ καὶ ποικιλωτέρᾳ τὰς πράξεις δηλοῦσι καὶ τοῖς ἐνθυμήμασιν ὀγκωδεστέροις καὶ καινοτέροις χρῆσθαι ζητοῦσιν, ἔτι δὲ ταῖς ἄλλαις ἰδέαις ἐπιφανεστέραις καὶ πλείοσιν ὅλον τὸν λόγον διοικοῦσιν.* Quibus e verbis elucet, Isocratem ne ipsum quidem poeticum quendam colorem reformidare, quippe cum paullo infra (15, 50) profiteatur, se quoque illi dicendi generi, de quo antea illa dicta sunt, studere: *τῆς παιδείας ταύτης, ἧς οὐδ᾽ ἂν ἐγὼ φανείην ἀπεληλαμένος ἀλλὰ πολλῶν χαριεστέραν δόξαν εἰληφώς.* Licet autem huic testimonio paullo contraria esse videatur sententia quae legitur in or. 9, 9—10: *τοῖς μὲν γὰρ ποιηταῖς πολλοὶ δέδονται κόσμοι . . . δηλῶσαι μὴ μόνον τοῖς τεταγμένοις ὀνόμασιν ἀλλὰ τὰ μὲν ξένοις, τὰ δὲ μεταφοραῖς . . . πᾶσι τοῖς εἴδεσι διαποικῖλαι τὴν ποίησιν. τοῖς δὲ περὶ τοὺς λόγους οὐδὲν ἔξεστι τῶν τοιούτων, ἀλλ᾽ ἀποτόμως καὶ τῶν ὀνομάτων τοῖς πολιτικοῖς μόνον καὶ τῶν ἐνθυμημάτων τοῖς περὶ αὐτὰς τὰς πράξεις ἀναγκαῖόν ἐστι χρῆσθαι,* tamen ipsae orationes Isocrateae demonstrant, cum grano salis, ut aiunt, esse accipienda haec postrema verba, quibus, solutae orationi verba urbana tantum et vulgaria concedi videantur. Velut iam Aristoteles animadvertit in arte rhetorica 3, 7 *τὰ δὲ ὀνόματα . . . . ξένα μάλιστα ἁρμόττει λέγοντι παθητικῶς . . . καὶ ὅταν ἔχῃ ἤδη τοὺς ἀκροατὰς καὶ ποιήσῃ ἐνθουσιάσαι ἢ ψόγοις ἢ ἐπαίνοις ἢ ὀργῇ ἢ φιλίᾳ, οἷον καὶ*

Ἰσοκράτης ποιεῖ ἐν τῷ πανηγυρικῷ ἐπὶ τέλει „φήμη δὲ καὶ μνήμη“ (cf. Isocr. or. 4, 186) *καὶ „οἵτινες ἔτλησαν“* (cf. 4, 96). Videlicet, quo maior vis verbis insit, poetica quaedam illis locis sibi arrogat orator, ubi notio aut altius exaggeranda aut contraria acrius opponenda est. Cuius rei exempla afferre possum ex or. 12, 181, ubi notio *ἀποκτεῖναι* sublimius effertur poetico verbo postea adhibito *μιαιφονεῖν*, et ex or. 15, 134, ubi opponuntur inter se *τὰ μὲν ἁμαρτανόμενα παρόψονται* et *τὸ δὲ κατορθωθὲν „οὐρανόμηκες ποιήσουσιν“*, quorum membrorum oppositorum illud prius pedestre hoc posterius poeticum dicendi genus sapit. Sed etiamsi eae, quas modo attuli, aut altius tollendi aut fortius opponendi causae non exstant, interdum singularioribus et a vulgari sermone recedentibus locutionibus Isocrates utitur, velut in ep. 1, 9 pro simplici *ἔργον οὕτω μέγα ποιῶ* legitur *οὕτως ἐμβριθὲς αἴρομαι πρᾶγμα.* Quis autem in talibus verbis, etsi semel ab Isocrate usurpantur, unquam offendit? Unde fit, ut eandem legem etiam de prima oratione valere statuamus. Ergo scrupuli removeantur a singulari elocutione *πέλαγος διαπερᾶν,* quae pro solita *θάλατταν πλεῖν* (cf. e. g. 8, 20, 76) usurpata esse videatur, quo maiore vi opponatur sequenti *κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν. Περιπατεῖν* (§ 42) autem pro vulgari *περιέρχομαι* (cf. or. 12, 10) usurpatum, cum verbis *κρύπτειν ἐν ταῖς οἰκίαις* opponatur, mihi valde arridet, quoniam vis maior quam in *περιέρχομαι* inesse videtur, ita ut vertere fere sic liceat: „auf die Gasse hintreten“. Poeticum vero sermonem perstringere opinor verba *ἀποδίδωσιν* (§ 46), *ἐμάρανε* (§ 6), quippe cum ad gnomicam poetarum dictionem sententiae illae quam proxime accedant. Eodemque referenda puto *ἀκιβδήλως* pro vulgari *ἀσφαλῶς* et duplicem dativum *οἷς ταῖς διανοίαις* pro *ὧν ταῖς διανοίαις.* Quid enim aptius, quam quod in virtutis laude celebranda §§ 6—7 et 46—47 sic altius effertur oratio?

Iam vero postquam verba *ἅπαξ εἰρημένα,* in quibus haerendum non est, percensuimus, transeamus ad eas offensiones examinandas, quae de usu quorundam verborum in nostra oratione ab Isocrate alieno a Benselero prolatae sunt. Atque falso adnotatum apparet ad § 1: *ἐξαλείφειν* non dici

cum translata notione, si confers or. 5, 71: *τιμαὶ ἀνεξάλειπτοι*.

§ 3. Benseler haec profert: „auffallend ist *τοὺς φιλοσοφοῦντας ἐπανορθῶ*, indem Is. meist *ἐπ.* von sachen gebraucht und von personen nur, wenn es heisst: „einen gefallenen oder unglücklich gewordenen wieder aufrichten.“ Qua de re ut certi aliquid statui possit, a propria illius verbi significatione proficiscendum videtur. Atque facile conceditur, eam ab initio vim inesse, ut, cum *ἀνορθοῦν* sit „erigere aliquem, qui humi iacet“, *ἐπανορθοῦν* significet „denuo erigere alqm, qui antea erectus fuit, postea lapsus est“. Unde facilis est translatio, si *ἐπαν.* dicitur de iis rebus (cf. or. 4, 165. 6, 48. 7, 15. 8, 153) vel personis (cf. 6, 72), quae a felicitate ad calamitatem delapsae manus indigent denuo erigentis. Ab hac autem genuina significatione paulum recedit *ἐπανορθοῦν*, si in notionem „corrigendi“ abit. Is enim, qui corrigitur, comparari potest cum eo tantum, qui e deteriore statu erigitur (*ἀνορθοῦται*) ad meliorem, non cum eo, qui a meliore in peiorem condicionem delapsus *denuo* erigendus est (*ἐπανορθοῦται*). Quae vis cum non plus duobus locis apud Isocratem huic verbo subsit (9, 7. 12, 200), temerarium videtur, contendere, eam non pertinere ad homines corrigendos, sed tantum ad res.

§ 4. Cum *σπουδαῖος τὰ ἤθη* cf. *εὐφυὴς τὴν γνώμην* 9, 41, et cum plurali *τῶν τρόπων* cf. 9, 24 *εἰς τοὺς τρόπους ἀποβλέπω*.

§ 5. Quod in interrogatione indirecta iuxta ponuntur pronomina interrogativa *τίνων, ποίοις, πῶς* et relativum *ὧν*, non prorsus caret exemplo in scriptis Isocratis. Scilicet modo suppleas ad relativum *ὧν* demonstrativum *ταῦτα*, plane congruit hoc enuntiatum cum or. 15, 178 *πειράσομαι διελθεῖν τήν τε φύσιν, ἣν ἔχει, καὶ ποία τῶν ἄλλων τεχνῶν ὁμοειδής ἐστι καὶ τί .. ὠφελεῖ*. Quod deinde *πορεύεσθαι* praeter nostrum locum (1, 5) nusquam invenitur nisi de militibus dictum, casu accidisse demonstrat substantivum *πορεία* et identidem de militum itinere et bis (15, 229. 19, 30) de quovis itinerum genere usurpatum. Cum ea denique notione, quam *γνήσιος* habet in or. 1, 5, cf. 3, 43. 16, 28.

§ 6. Usus verbi *ἀναλίσκειν*, quem B. hoc loco vituperat, ab Isocrate alienus non videtur. Nempe duas apud illum constructiones hoc verbum admittit: *ἀναλίσκειν τι εἴς τι* vel *ὑπέρ τινος* (5, 90. 7, 10. 9, 60. 12, 140. 15, 113, 158, 165, 288. 15, 229) „etwas auf etw. verwenden" et *ἀναλίσκειν τι* (8, 67. 15, 179) „etw. verbrauchen". Similiterque nostro loco vertere licet „die zeit hat die schönheit verbraucht". Qua in interpretatione id unum fortasse offendere potest, quod tempus tanquam persona agere aliquid dicitur. Attamen hoc facile poetico huius loci dicendi generi, de quo supra diximus, condonabimus. De voce *νέος* denique, quod B. monet, id recte quodammodo se habet. Scilicet permultis locis adolescentes dicuntur *οἱ νεώτεροι* non *οἱ νέοι*, cuius rei etiam causam mihi videor cognoscere. Nimirum cum persaepe opponerentur adolescentes senibus, senes autem non liceret appellare *τοὺς πρέσβεις* sed *τοὺς πρεσβυτέρους*, quo maior aequabilitas efficeretur, etiam comparativum *τοὺς νεωτέρους* in consuetudinem paene abiisse duco. Quod vero in voce *πρέσβυς* tam accurate observatur ab Isocrate, ut si quando gradus positivus ratione grammatica flagitetur, vel loco numeri singularis *πρέσβυς*, qui quidem apud alios scriptores cum notione „veteris" ponitur, adiectivum *παλαιὸς* adhibeatur, id in voce *νέος* non tam artis finibus circumscriptum puto; age enim cf. or. 4, 185, ubi *τίς παλαιὸς* et *τίς νέος* dicitur: non audebat Is. sibi sumere *τίς πρέσβυς*, non offendedat in *τίς νέος*. Unde colligere licet, ne *ὁ νέος* quidem vel *οἱ νέοι* prorsus ab eo alienum esse.

§§ 7. 8. Cum *οἷς .. τοῖς διανοίαις συναυξηθῇ* et *οἷς .. ἔργοις ἐπέβαλε* cf. or. 12, 126 *περὶ οὗ πρὸ πολλοῦ ἂν ἐποιησάμην μὴ διειλέχθαι περὶ τῆς ἀρετῆς*.

§ 9. *λέγειν* c. dat., alibi c. *πρὸς* c. acc. construitur; cf. *φράζειν*, quod in or. 12, 16 dativum, in ep. 1, 2 *πρὸς* c. acc. regit.

§ 16. *τὸ καλὸν*: cf. or. 4, 10, 40. 4, 83 *τὸ δίκαιον*.

§ 30. *πρὸς τὸ βέλτιστον* et *πρὸς τὸ φαυλότατον* ut inter se opponuntur, ita notionem habent non arte cum verbis finitis *ἀπεχθάν.* et *χαρίζ.* cohaerentem, neque illam

tamen a praepositione *πρός* c. acc. constructa alienam, quam proprio fere enuntiato vertere licet „ubi agitur de“.

In § 28 singulari quadam sententiae condicione absolutus verbi *ἀπολαύειν* usus paene flagitatur aeque ac *κτᾶσθαι* non habet accusativum qui pendeat.

§ 37. *ἐκ τῶν κοινῶν ἐπιμελειῶν* · cf. 11, 18 *τῶν κοινῶν προςταγμάτων* pro *τῶν τοῦ κοινοῦ προςταγμ.*

§ 41. *ἐπισκόπει τῇ γνώμῃ* cf. or. 8, 141 *τῇ διανοίᾳ καθορᾶν.*

In § 47 *ἐκεῖ* non, sicut plerumque, ad locum quendam pertinet; cf. tamen or. 6, 92: *ἐκεῖ* sc. *ἐν τῷ πολέμῳ,* deest notio localis.

Denique breviter moneo, Benselerum de constructione nonnullarum vocum et usu Isocrateo leges sanxisse, quae non satis multis locis comprobentur: *γυμνάζειν* (§ 9), *διατεθῆναι* (§ 12, cf. Henkel p. 20), *δαιμόνιον* (13), *αἰσχύνη* (15, sc. notionem „pudoris“ exprimendi alibi nusquam occasio erat), *ἄριστον* (16, B. desiderat *πάντων,* cf. Henkel p. 23), *ὀμνύναι* (23), *ῥητὸς, βασανίζω* (25), *εὐβουλία* (35), *τῶν ἀδίκων* (39, sc. nusquam occasio fuit opponendi homines iustos et iniustos), *προφέρειν* (44), *αἴσθησιν λαμβάνειν* (47), *ἐλαττοῦσθαι ἔν τινι* (49).

Singulis adhuc Benseleri offensionibus, quae quidem in dictione nostrae orationis versantur, perlustrandis Henkelium potissimum secutus, permulta nimio vituperandi studio ab illo v. d esse notata, demonstrare conatus sum. Nunc vero Henkelii partes relinquendas puto. Nempe cum omnis eius opera in eo posita sit, ut illa oratio pro Isocratea vindicaretur, in eum errorem incidisse videtur, ut nimiam licentiam stilo Isocrateo condonaret. Itaque ea, quae iusta accurataque de singulis disputatione refutare non potuit, generali quadam ratiocinatione infringere studuit. Scilicet inde defensionem repetiit, quod totum huius orationis genus diversum esse dixit a ceteris orationibus Isocrateis. Nimirum in nostra oratione multarum rerum ad vitam privatam pertinentium mentionem fieri, quarum commemorandarum in reliquis, ubi de rebus Graecis, regiis, publicis verba fierent, occasio non fuisset. Quare offendendum non esse, quod in illa multae locutiones invenirentur, quae in reliquis non ex-

starent (cf. Henkel Progr. Rud. 1877 p. 16). Sane probabilis haec defensio videtur, dummodo vis eius inter certos quosdam fines, coerceatur, ita ut valere eam iure dicamus de iis tantum verbis, quorum notio aut nusquam aut raro apud Isocratem reperiatur. Quid vero? quod in illis vocibus semel usurpatis inesse Benseler contendit, quae de industria ab Isocrate evitari inde appareat, quod eadem notio in reliquis orationibus Isocrateis alia voce reddatur? Quod argumentum ne verbo quidem ab Henkelio debilitatum esse, valde doleo, quoniam si recte id sese habere demonstrari poterit, paene irritum fiet totum illud Henkelii patrocinium. Quamvis enim multas Benseleri offensiones ratione carere demonstraverimus, si nonnullae restant, quae consuetudine Isocratea bene examinata removeri non possunt, hoc tantum defensione effici potest, non tantopere recedere primam orationem ab Isocrateo more, quantopere Benseler nobis persuadere velit, ita tamen, ut Isocrateam eam non esse concedere ei cogamur. Itaque iam examinandum erit, numquae dicendi singularitates re vera a stilo Isocrateo abhorrere videantur.

Atque primum quidem de quibusdam *ἅπαξ εἰρημένοις* disseramus, in quibus iure quispiam offendat, deinde de usu quorundam verborum discrepante a more Isocrateo verba faciamus.

Atque in vocibus semel usurpatis summam habet offensionem praepositio *σύν* (§ 16), quippe quae alibi ab Isocrate non adhibeatur nisi in verbis compositis. Henkelio autem sic defendenti, ut etiam apud alios oratores rarissime eam praepositionem inveniri dicat, tum demum fides aliqua adiungenda esset, nisi etiam aliis argumentis num genuina esset haec oratio in dubium vocaretur. Praeterea autem etiam hoc monendum est, quod Mommsen in Programmate Francofurtensi 1874, p. 8, postquam p. 4 eos solutae orationis scriptores enumeravit, apud quos praepositio *σὺν* nusquam legitur, hanc legem statuit: „Uebrigens wird dem aufmerksamen Leser und Vergleicher schon aus den mitgetheilten Namen und Zahlen erhellen, dass die strengere Beschränkung des prosaischen Ausdrucks — scil. ut poetica prae-

positio σὺν nusquam fere in soluto genere dicendi usurpetur — erst mit Isocrates anfängt." Huc adde, quod aliis exemplis constat, Isocratem summa cum religione sincerissimum quem dicunt Atticismum in scriptis suis expressisse, iam non dubitabis, quin eius legis, quam post Isocratem a scriptoribus servatam esse Mommsen demonstravit, ipse et auctor fuerit, neque unquam eam laeserit. Itaque nostrum locum, qui cum illa lege certet, iure ab Isocrate abiudicabimus. Praeter hunc autem, quem Isocrateum non puto esse, praepositionis σὺν usum in dubium vocanda videntur composita quaedam in or. 1 semel usurpata, quorum notio, quamvis saepe in Isocratis scriptis occurrat, mira quadam constantia alia voce exprimi soleat.

Quorum in numero sunt ἐπιβλέπω, ἐφάμιλλος, κατάδηλος, καταριθμεῖσθαι, καλοκἀγαθία. Atque ea quae in or. 1. verbo ἐπιβλέπω vis (§ 21. 35) subiicitur, plerumque significatur verbo ἀποβλέπω πρὸς vel εἴς τι, paullo rarius verbo simplici βλέπω πρός τι vel εἴς τι (8, 142. 12, 102, 188). Nonne igitur mirum lusum fortunae statueremus si, quod verbum ab oratore aliquo alibi non adhibetur, id ab eodem in una oratione atque ea quidem satis brevi vel bis usurpatum esse arbitraremur? Vel gravior etiam in voce ἐφάμιλλος esset offensio, quippe cuius notio semper apud Isocratem (or. 12, 7, 263. 5, 68. 10, 23. ep. 9, 2) voce ἐνάμιλλος reddatur, nisi in tam levi utriusque compositi differentia nostro loco de librariorum errore cogitare liceret. Adiectivum κατάδηλος vero, si quis diligenter inquisiverit, quanta constantia notio „offenbar" ab Isocrate, — ut simplicia φανερὸς, δῆλος, omittam, — aut composito καταφανὴς aut πρόδηλος exprimatur, difficile animum inducet, ut uno loco in or. 1, 42 ab eodem Isocrate κατάδηλος usurpatum credat. (καταφανὴς cf. 4, 49. 6, 92, 102. 11, 2. 15, 67, 199. 21, 2. ep. 8, 2 πρόδηλος 2, 42; 6, 37. 10, 20, 40. 14, 36). Mire autem accidit, quod Plato rationem plane contrariam sequitur, apud quem κατάδηλος multo saepius quam πρόδηλος occurrat (cf. Ast, lexicon Platonicum s. vv. κατάδηλος et πρόδηλος). Idemque fere atque de usu κατάδηλος non Isocrateo valet de composito καταριθμεῖσθαι; quod fortasse, si hiatus evitandi causa positum

esset pro vulgari ἐξαριθμῶ (cf. or. 4, 66. 8, 87. 12, 142. 15, 46, 114; ep. 9, 5) vel ἀπαριθμῶ (cf. 3, 12. 5, 26, 109. 6, 68. 12, 73), excusationem haberet; cum tamen illa causa ab usu solito recedere hoc loco non cogat, quicunque id verbum in or. 1, 11 usurpavit, non fuisse Isocratem putabimus.

De voce καλοκἀγαθία denique mirum quantum cum Henkelii sententia dissentio. Nam quod ille ut defendat illud substantivum affert, (p. 21), adiectivum καλὸς κἀγαθὸς iterum ac saepius ab Isocrate usurpari, id ego argumentum potius esse crediderim ad contrariam sententiam confirmandam. Nempe cum καλὸς κἀγαθὸς non solum decem illis ab Henkelio allatis locis Isocrateis, sed etiam multis aliis exstet, ita ut iure eam usitatissimam vocem Isocrateam esse ducamus, augetur dubitatio de substantivo καλοκἀγαθία in or. 1, 6, 51 sola usurpato. Nam certe, si uti eo voluisset Isocrates, sexcenties occasionem habuisset. Quare videndum erit, numqua causa indagari possit, cur eum respuisse illud substantivum putemus, quamvis saepe adiectivo utatur. Atque illud quidem vel primo obtutu apparet, substantivum καλοκἀγαθία ad singularem quandam componendi rationem ex tribus verbis conglutinatum esse. Itaque cum ad certas grammaticae leges compositum non sit, originem nisi ex neglegentia quadam sermonis cotidiani ducere fere non potuit, eosque scriptores, qui in suos libros illud receperunt communi usui indulsisse possumus suspicari. Quantum vero singularitatis et audaciae in tali compositione inesset scriptores optimae Graecitatis sensisse videntur, cum ad similitudinem illius substantivi adiectivum καλοκἀγαθὸς compositione efficere nemo ausus sit. cf. Lobeck ad Phrynich. p. 603. Cum autem adiectivum illud ab omnibus reformidari viderem, adductus sum, ut dubitarem, num in substantivo nemo scriptor offenderet. Quae res me permovit, ut ad eius usum cognoscendum praeter Isocratem nonnullos alios scriptores perscrutarer. Atque in eis perlegendis haesi potissimum in Herodoto, et antiquissimis solutae orationis scriptoribus Atticis, et Platone. Nimirum Herodotus, cuius scripta Ionicae dialecti exemplar illustrussimum praebent, neque adiectivo καλὸς κἀγαθός neque substantivo καλοκἀγαθία utitur. Qui mihi quidem gravissi-

mus testis esse videtur, Iones non usurpasse aut adiectivum aut substantivum, sed ea esse Attici sermonis propria. Apud Atticos autem sic in consuetudinem venerunt, ut tria verba *καλὸς καὶ ἀγαθὸς* paene in unum coalescerent, cuius rei indicium est, quod rarissime aliis voculis interpositis diriinuntur. Substantivum *καλοκἀγαθία* vero aliquanto post adiectivum increbruisse, cum per se consentaneum est, tum nescio an testentur antiquissimi solutae orationis scriptores Attici.

Nempe valde memorabile mihi videtur, quod in libro Xenophonti falso tributo, qui inscribitur *Ἀθηναίων πολιτεία,* quamvis saepe eorum hominum, qui postea dicebantur *καλοὶ κἀγαθοὶ,* mentio fiat, neque *καλὸς κἀγαθὸς* neque *καλοκἀγαθία* sed semper *χρηστός* et bis *ἀρετή* (§§ 7. 19) legitur. In Antiphontis deinde orationibus semel exstat *καλὸς κἀγαθὸς* (1, 14), nusquam *καλοκἀγαθία,* pariterque res se habet in Andocide (cf. 1, 133. ed. Becker). Ne vero quis putet, occasionem non fuisse usurpandae vocis *καλοκἀγαθία,* ex Andocidis oratione prima locos afferre possum, ubi identidem brevi intervallo interposito deinceps legitur *ἀρετή* (cf. 1, 107—109, 119, 142, 143, 150). Ac ne Lysias quidem plus bis adiectivo *καλὸς κἀγαθὸς* usus est (12, 56. 30, 14), substantivum apud ipsum quoque desideratur, quamquam *ἀρετή* exstat 12, 86. 14, 24, 32. 18, 3, 9, 11, 25. 30, 1. frgm. 1, 2 (Scheib. ed. altera). Apud Thucydidem denique bis legitur adiectivum (4, 40, 2. 8, 48, 6), nunquam substantivum. Unde temerarium non videtur coniicere, vocem *καλοκἀγαθία* illorum scriptorum aetate nondum in usu fuisse.

At post haec tempora demum ortum esse non potest, quoniam in Aristophanis fragmento 1 (Galen. praef. lex. Hippocr. V, p. 706. Dindorf, poet. scen. IV, p. 183) ex fabula q. i. *Δαιταλῆς* (acta anno a. Ch. n. 427) petito locum habet. Quid vero? quod ex hoc ipso loco Aristophaneo quispiam coniicere potest, illud substantivum tum temporis habuisse aliquid inusitati? Nempe colloquentes facit Aristophanes patrem et filium, quorum hic verbis quibusdam utitur, quae ille cavillatur, ita ut novi atque inusitati aliquid illa aetate in eis fuisse colligamus. Atque postquam

σορέλλη, καταπλιγήση, ἀποβήσεται derisa sunt, sequuntur versus:

Fil.: *Τί δ' ὑποτεκμαίρει καὶ κακῶς ἄνδρας λέγεις*
Καλοκἀγαθίαν ἀσκοῦντας;

ad quae pater cum ludibrio respondet:

οἴμ', ὦ Θρασύμαχε,
Τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων γηρύεται;

Quae verba ut recte intellegantur, respice antecedentes versus, in quibus nonnullae voces, videlicet tanquam tum temporis nove quodammodo dictae, risui dentur; iam exspectabis, etiam postremo loco similem voculae alicuius ludificationem inesse. Atque mihi quidem veri haud dissimile videtur, ad vocem *καλοκἀγαθίαν* referenda esse *τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων γηρύεται;* Videlicet eorum, qui *τῶν συνηγόρων* partes in iudiciis susceperant proprium erat provocare ad honestam vitam a reis ante actam. Optime autem in hanc sententiam dicta esse possunt *καλοκἀγαθίαν ἀσκεῖν.* Itaque cum vel in hoc versu Aristophanem vocem aliquam nove atque inusitate effectam risui dedisse supra coniecerimus, non abs re est, suspicari, aut advocatum nescio quem tunc primum „*καλοκἀγαθίαν*" in vera defensione usurpasse, aut certe ea aetate offensionem habuisse illam vocem; quam tamen habere non potuit, si iam in omnium ore fuisset.

Meineke (fragmm. comm. Graecc. vol. II. pars II, p. 1036) et Kock (comicc. Atticc. fragmm. Vol. I, p. 440) vv. ii., cum vocem *καλοκἀγαθία* pro tritissima haberent, ut monstruosiorem, quam locus ipse postulat, efficerent, *καλοκἀγαθεῖν* coniecerunt. Quae quidem coniectura probabilitatem quandam accipere potuit ex lectionibus, quas editiones Galeni Aldina (*καλοκἀγαθεῖον*) et Basileensis (*καλοκἀγαθῶν*) praebent — eas enim solas viri docti hucusque cognitas habuerunt. Attamen illud fulcrum paene detrahitur tradita optimorum illius libri Galeniani codicum scriptura, Laurentiani LXXIV, 5 (saec. XII) et Urbinatis 68 (saec. XIII), quam I. Mueller, ill. universitatis Erlangensis professor, benevolentissime mecum communicavit. Exstat enim in Laurentiano *καλοκαγαθεῖαν,* in Urbinate *καλοκαγαθίαν,* id quod iam H. Stephanus ex lectionibus

Aldinae et Basileensis edd. divinatus erat. Neque ego dubito lectionem codicis Urbinatis comprobare, quoniam ea aetate, qua fabula illa Aristophanea acta est, nondum usitatum fuisse substantivum *καλοκἀγαθία* ex Antiphontis, Andocidis, Lysiae, Thucydidis scriptis demonstrasse mihi videor, ita ut mirum non sit, quod Aristophanes illam vocem ut noviciam cavillatur. At Isocratis certe temporibus in consuetudine erat. Concedo, modo nequis contendat, neminem iam hominem Graecum in ea offendisse. Aut tu putas, casu factum esse, ut in Platonis scriptis locum non haberet? Nam eum librum, qui *Ὅροι* inscribitur, ubi illud semel legitur p. 412 E, Platonicum non esse inter vv. dd. constat. Cum autem apud Platonem paene innumeris locis de iis virtutibus verba fiant, quae vulgo substantivo *καλοκἀγαθία* complectuntur, si omnino e libris scriptoris alicuius de dicendi consuetudine observare licebit, Platonem illam vocem de industria reformidasse colligemus. Causam autem cur id faciat, inde perspici posse puto, quod in dialogis eius vel adiectivum *καλὸς κἀγαθός* saepissime immutatur, ita ut aut leviore variatione *καλός τε καὶ ἀγαθός* dicatur aut etiam longius a communi consuetudine recedatur. Velut in Timaeo p. 88, C exstat *ἅμα μὲν καλὸς ἅμα δὲ ἀγαθός*. Unde luculenter apparere mihi videtur, Platonem, quippe cuius philosophia in ea ipsa re saepissime versaretur, ut indagaretur quae cuique voci notio subesset, in illo adiectivo trium vocularum vim propriam cuiusque pressisse. Quid mirum igitur, quod substantivum *καλοκἀγαθία* prorsus respuit, in quo singulae compositionis partes suam vim paene abiiciant et in unam notionem coalescant? Quo scrupulo etiam Isocratem, ut erat in eligendis verbis religiosissimus, ductum esse, ne illo substantivo uteretur, eo verisimilius est, quod non solum non invenitur apud eum *καλοκἀγαθία* (exceptis duobus illis or. 1 locis), sed alia vox tanquam locum illius obtinuisse videtur. Nempe substantivum *ἀνδραγαθία,* quod legitur in orr. 3, 44. 6, 105. 18, 65, facile eam speciem praebet, ut propter soni similitudinem pro eo, quod evitare vellet Isocrates, *καλοκἀγαθία,* dictum id esse putemus.

Sed quamquam forte quis e magna illa Benseleri copia

alia etiam ἅπαξ εἰρημένα praeter ea de quibus adhuc disputavimus, in oratione prima pro vere ab Isocrate alienis habere potest, ne in campum descendam, in quo nimium libero disputantium arbitrio tribuatur, satis habeo de iis disseruisse, quae cur ab Isocrate abiudicanda viderentur, iustas causas afferre potui, in medio relinquendam duco eam quaestionem, utrum ea, de quibus expressis verbis non dixi — ἐνδέχεσθαι, μοχθηρὸς, παραχρῆμα, προςμένω, κατακρίνω — Isocrati tribui possint necne.

Iam vero transeundum est ad ea verba, quorum usus in oratione prima differre videatur a reliquis orationibus Isocrateis. Quam rem sic dividamus, ut primum de formarum, deinde de generum, tum de constructionum discrepantiis verba faciamus. Atque declinationis sane differentia in accusativo plur. γονεῖς § 13. 16 inest; quam tamen non valde premo, cum aeque librariorum errori tribui possit atque in or. 2, 35 et 36, ubi in optimis codicibus, Urbinate et Ambrosiano „βασιλεῖς" pro accusativo βασιλέας traditum est (cf. Blass praef. ad Benseleri edit. or. Isocr. alteram p. XII). Coniugationis autem is, qui or. 1 conscripsit, licentiam εἰδήσω pro Attico εἴσομαι sibi arrogavit §§ 16. 44, videlicet ut ὁμοιοτέλευτον quod dicunt, efficeret. Attamen iure Blass (Att. beredts. II, p. 258) eam veniam ad Isocratem pertinere negat, ut aurium causa contra grammaticam peccetur.

Huc accedit, quod in adhibendis generibus et substantivorum et verborum differentia huic orationi cum reliquis intercedit. Atque in eo, quod substantivo κύων genus femininum tribuitur in § 29, per se non valde offenderem, quoniam constat Atticos persaepe si non plerumque dixisse ἡ κύων (cf. Krüger, griech. sprachlehre I, § 21, 2 adn. 1). Sed cum apud Isocratem in or. 15, 211 τούς κύνας legatur idemque exstet in frgm. δ' 10 (ed. Bens. p. 279), hoc certe constat, Isocratem in genere masculino non offendisse. Quod tamen fecisse videtur is, qui hanc orationem conscripsit. An tu eum putas, quam aliis locis vel contra grammaticas leges aequabilitatem verborum affectet, eam hoc loco quasi ultro oblatam temere abiecisse, ita ut non masculinum οἱ

κύνες masculino *οἱ κακοὶ* sed femininum masculino opponeret?

Sed etiam in verbi genere, quod dicunt, adhibendo contra morem Isocrateum peccatum est. Huc refero, quod a Benselero vituperatum est medium *παρέχεσθαι* pro activo in § 22 usurpatum. Quod quamquam Henkel locis quibusdam Isocrateis defendere conatus est, his ipsis tamen exemplis augeri potius quam diminui illa offensio mihi videtur. Atque provocat ille quidem ad eos locos, quibus medium *παρέχεσθαι* apud Isocratem legatur, ita tamen, ut quae notio insit, accuratius non inquirat. Attamen eam rem vel summam disputationis esse puto, dignamque, de qua uberius disseratur. Sunt autem hi loci ab Henkelio allati 6, 32. 10, 63. 12, 50. 17, 32, 38. 18, 8. 22, 57, quorum longe plurimis *μάρτυρα* vel *μαρτυροῦντά τινα παρέχεσθαι* vel simile quid dicitur, aliquanto aliter in 18, 22 *τὰς συνθήκας παρέχεσθαι* et in or. 12, 50 *τὰς ναῦς παρέχεσθαι.* Proficiscentibus vero nobis ab activi *παρέχειν* notione quae est „praebere alicui aliquid", medium *παρέχεσθαι* eam notionem habere videtur, quam vulgo habet illud verbi genus, ut actio praebendi vertatur in commodum eius ipsius, qui praebet. Velut si quis dicit, *μάρτυρά τινα παρέχομαι,* testem praebet, quo suam ipsius sententiam comprobet, ita ut notio praebendi paene abierit in vim utendi. Quam vero severis legibus hic medii usus astrictus sit, apparet ex or. 6, 93: *δέον ἡμᾶς παράδειγμα τῶν τοιούτων τοῖς ἄλλοις παρέχειν.* Videlicet praebere debent Athenienses exemplum, quo alii utantur quodque imitentur. *Παράδειγμα παρέχεσθαι* autem sine dubio usurparetur, siquis ad suam opinionem aliis probandam exemplo aliquo uteretur. Similiterque in or. 18, 22 *τὰς συνθήκας παρέχεσθαι* dicitur. Nempe is, qui „ad pactum aliquod provocat, idem fere facit, atque is, qui testem producit. Restat iam unus locus, ubi in Isocratis scriptis medium illud adhibetur: or. 12, 50 *πλείους ναῦς παρέσχοντο.* Attamen vel hic propria medii vis apparet, ut actio praebendi vertatur in usum eius, qui praebeat. Scilicet cum sermo sit de Atheniensibus naves ad pugnam Salaminiam afferentibus, non praebent illi quidem naves, quibus alii utantur, sed in com-

munem cum aliorum tum ipsorum usum conferunt. Si vero quis hoc loco eam vim subesse opinetur, quam medium per se habere sane potest, ut sit „seine schiffe darbieten“, ego quidem tum non *πλείους ναῦς παρέσχοντο* sed *πλείους τὰς ναῦς παρέσχοντο* dictum esse exspectaverim. Ac ne hoc quidem consuetudini Isocrateae prorsus responderet, cum, quotiens adiectivum illi verbo attribuitur, activum *παρέχειν* usurpetur; cf. or. 2, 7, 22. 4, 52. 8, 30. 12, 189. 15, 128. Ad alios autem scriptores provocare, quos in eiusmodi sententiis medio *παρέχεσθαι* uti me non fugit (cf. e. g. Lysiae or. 12, 14 *πρόθυμον παράσχου τὴν σαυτοῦ δύναμιν*), scrupulos mihi movet, quoniam, qui sit usus Isocrateus, satis multis locis ex ipsius scriptis perspicitur.

Eandem vero ab Isocratea dictione discrepantiam cum Benselero fortasse de usu activi *ἀποκρύπτειν* (§ 42) statuere licet. Quamvis enim haec res non tam ad liquidum perduci possit, quam quae erat de medio *παρέχεσθαι* disputatio, mirum sane videtur, quod septem locis (7, 35. 11, 2. 12, 218. 15, 44, 98. 18, 48, 60) medium *ἀποκρύπτεσθαι* occurrit; inde vero, quod in or. 7, 58 perfectum *ἀποκεκρυμμένος* passivam notionem habet, concludi non debet, id esse revocandum ad activum *ἀποκρύπτειν*, quoniam perfecta eorum verborum, quorum praesens medialem formam habet, cum activam tum passivam vim induunt.

Iam vero tertium illud restat, ut de constructionibus nonnullis disseramus, quae a Benselero ut ab Isocrate alienae notatae neque satis gravibus argumentis ab Henkelio defensae esse neque omnino defendi posse videantur. Atque gravissimae offensiones in constructione verborum *ἐπιχειρεῖν* § 4, *στέργειν* § 29, *μνημονεύειν* § 47 insunt. Possum etiam alia afferre, quae ipsa quoque optimo iure a Benselero vituperata putem, velut quod *καρτερεῖν* in § 30 accusativum regit, alibi aut absolute dicitur aut c. *ἐν* vel *ἐπὶ* construitur, sed haec omitto, quoniam in eis defendendis ad rarum usum provocari potest, illa premo, quorum construendorum ratio atque consuetudo Isocratea satis multis locis firmetur. Atque *ἐπιχειρεῖν* identidem apud Isocratem cum dativo construitur (cf. Benseler Iahn. Ann. 1860, II, p. 125), nusquam

praeter hunc locum (1, 3) cum accusativo. Quam licentiam Schneider (l. l. p. 3) exemplis ex Platone potissimum petitis non recte defendisse videtur, quippe cum Plato multa sibi arroget, quae a subtilitate Isocratea plane abhorreant.

De constructione verbi *στέργειν* vero neque Benselerum neque Henkelium recte disputasse arbitror. Nam quamquam Henkel exemplis (or. 10, 56. 5, 127) bene comprobavit, id quod Benseler negaverat, pendere nonnusquam accusativum ab illo verbo, tamen eum fugit, discrimen aliquod significationis intercedere inter accusativum et dativum vel *ἐπὶ* c. dat. Nempe in or. 5, 45, 127. 10, 56, ubi *στέργειν* accusativum regit, notio subest „diligendi", reliquis locis (7, 26. 8, 7, 23. 12, 22. ep. 2, 23), ubi cum dativo vel c. *ἐπὶ* c. dat. construitur, „contentum esse aliqua re" significat. Unde facile ad eam opinionem perducimur, Isocratem non promiscue utramque constructionem usurpasse, sed suam cuique vim tribuisse. Itaque cum bis in or. 1 *στέργειν* c. acc. construatur, ita tamen, ut altero loco § 15 significet „diligere", altero § 29 „contentum esse", in § 15 nullam, in § 29 vel maximam offensionem habeo.

Similemque fere non significationis sed constructionis distinctionem Benseler (p. 129) inter verba *μνημονεύειν* et *μιμνήσκεσθαι* iure statuere mihi videtur, quorum illud semper (2, 35. 3, 12. 4, 27. 12, 8, 36. 18, 136. 16, 22. 18, 66) cum accusativo, hoc cum genetivo construatur. Neque equidem causam video, cur id argumentum ullius momenti esse Henkel neget (p. 24), nisi forte eam, quod nil habuit, quod contra diceret. An tu putas ea omnia sic posse defendi, ut provocetur ad membrorum quandam aequabilitatem, quam ad efficiendam Isocrates usitatam constructionem paullulum immutaverit? Ego vero concedo, tali symmetriae, quam dicunt, studio ductum esse eum, qui hanc orationem conscripsit, ut facile, quo magis inter se responderent in § 29 *τὰ παρόντα . . τὰ βέλτιστα*, in § 30 *τὸν ὄγκον . . τὸν τρόπον*, in § 47 *τῆς ἀρχῆς . . τῆς τελευτῆς*, constructiones verborum *στέργειν, καρτερεῖν, μνημονεύειν* mutatas ab eo esse statuamus.

Sed iam finem faciamus, de singulis verbis ambigendi, utrum quaeque Isocrati sint tribuenda an ab eo abiudicanda, cum ex iis, quae adhuc prolata sunt, facile cognoscatur, quamvis multae Benseleri offensiones reiiciendae sint, haud paucas ratione non carere. Quae cum ita sint, facere non possum, quin de summa quaestionis cum Benselero consentiam atque totam orationem ab Isocrate alienam putem. Quid enim? quod etiam Schneider, cum ne eum quidem fugerit, inesse quasdam elocutionis singularitates, concedit posse quempiam ad eam opinionem pervenire, ut illam orationem pro suppositicia habeat (l. l. praef. p. 5). Quamquam haec addit: „Ebenso berechtigt ist aber bei der langjährigen schriftstellerischen Laufbahn des Isokrates und seinem Streben nach Vollendung in seiner Kunst eine zweite Annahme, die, dass die Rede von dem Athener Isokr. zu einer Zeit verfasst wurde, wo seine Manier sich noch nicht ganz durchgebildet hatte.“ Sed satis gravibus argumentis Benseler (Iahn. Annal. 1860, II, p. 122) contra hanc opinionem disputavit, ita ut eis plane subscribere satis habeam. Quare maneamus in ea sententia, ut primam orationem ab Isocrate abiudicemus. Nam ne eorum quidem opinio, qui interpolationibus aliquot, quas inesse putarent, eiectis reliquam partem Isocrati tribui voluerunt, stare potest, quoniam per totam fere orationem offensiones illae elocutionis dispersae sunt, ita ut, si omnia enuntiata, in quibus aliquid a stilo Isocrateo abhorrere visum est, tanquam interpolata tolleremus, sententiarum conexus interdum hiaret.

Neque tamen, cum Isocrateam orationem esse nego, eam sic, ut nunc a codicibus perhibetur, ab ipso eius auctore, quicunque fuit, conscriptam esse contendo. Immo gravissima interpolatoris indicia exstare mihi videntur, de quibus iam verba facere mihi in animo est.

Atque proficiscamur a mala praeceptorum dispositione, quae quamquam interpretes neque fugit neque facile fugere potuit, utrum Isocrati tribui possit necne, summa est virorum doctorum dissensio, prout quisque maiorem minoremve componendi licentiam in hoc paraeneseon genere Isocratem sibi arrogasse putat. Nimirum cum ad ipsius testimonium

provocari possit, quo se in paraensi ad Nicoclem conscripta (or. 2) disponendi rationem paullo laxiorem secutum esse fateatur — cf. or. 15, 67 *ἀπολύσας γὰρ ἀπὸ τοῦ προτέρου καὶ χωρὶς ὥσπερ τὰ καλούμενα κεφάλαια ποιήσας πειρῶμαι διὰ βραχέων ἕκαστον ὧν συμβουλεύω φράζειν* —, defensores primae orationis (Schneider l. l. adnot. ad § 13, Sandys. l. l. not. § 13, Henkel l. l. p. 26), in paraenesibus singula praecepta iusto ordine pronuntiari non debere contendunt. Attamen refelli posse videtur haec opinio cum verbis illis orationis 15, 67 tum ipsa orationis secundae dispositione accurate examinatis. Etenim si causas quaero, quibus Isocrates adductus sit, ut in oratione secunda rationem a solita consuetudine alienam sequeretur — nam libero arbitrio vel neglegentia quadam id factum esse, a me impetrare non possum ut credam — ipsis verbis supra ex or. 15, 67 allatis eas expressas invenio: *πειρῶμαι διὰ βραχέων ἕκαστον ὧν συμβουλεύω φράζειν.* Videlicet brevitati operam dedisse videtur, quae quantam vim habeat in genere paraenetico, quis est quin sentiat? Iam cum intellexerimus, concisum dicendi genus, Isocratem in or. 2 affectare, facile sic interpretabimur *ἀπολύσας γὰρ ἀπὸ τοῦ προτέρου καὶ χωρὶς ὥσπερ τὰ καλούμενα κεφάλαια ποιήσας*, ut ratio explicetur, qua Isocrates illum brevitatis colorem orationi aspergat. Atque summa discriminis inter orationem secundam et reliquas in eo poni videtur, quod in illa non iustis formulis ab alia ad aliam sententiam transitur, sed summarii instar (*ὥσπερ τὰ καλούμενα κεφάλαια*) singula enuntiata nullo plerumque particularum vinculo copulantur. Itaque eos, qui illis verbis Isocratem testari volunt, se in genere paraenetico dispositionis rationem non habuisse, errasse puto. Nam ad brevitatem certe efficiendam, quam solam a solita consuetudine recedendi causam fuisse vidimus, nihil valet „mala praeceptorum dispositio“.

Quid vero? quod si ipsius orationis secundae verba examinantur, aptus sententiarum conexus minime desideratur? Qua de re prius quam accuratius disputetur, praemonendum est, magnam eius orationis partem (inde a § 14 usque ad § 39) iterum legi in oratione 15, in quam, ut exemplo Iso-

crates uteretur, eam transtulit. Ex iis vero codicibus, qui integram orationem 15 exhibent, Urbinas illius partis ex or. 2 sumptae non nisi extrema ab initio et a fine verba transscripta praebet, reliqui, Ambrosianus et Laurentianus, totam verbotenus rescriptam habent nisi quod loci aliquot, qui in oratione secunda leguntur, omissi sunt. Unde Benseler suspicatus, interpolatos esse illos locos (cf. eius librum de hiatu conscriptum p. 37—39) argumentis suam opinionem comprobavit et mihi quidem, quamquam contra eum Brueckner (Progr. Schweidnitz 1852) et Blass (Att. beredts. II, 249 s.) disputaverunt, valde persuasit. Itaque in dispositionem orationis secundae inquisiturus, earum tantum sententiarum rationem habebo, quae in antidosi (or. 15) inveniuntur. Ne tamen temere Benselero assentiri videar, in fine dissertatiunculae appendicis instar illius sententiam contra Blassium et Bruecknerum defendere conabor. Nunc, ne longius a proposito aberremus, ponamus, ex or. 2 eiicienda esse § 19 verba *οἴκει . . . καταλείψεις,* § 20 *τίμα . . ἐστιν.* § 22 *ἅπασιν . . ἁμαρτανομένων.* § 24 *οὕτως . . ἐπιχειρῶσιν.* § 26 *καὶ νόμιζε . . . ἀτυχῆς.* § 27 *ἀκριβεῖς . . πράξωσιν.* § 28 *ἄκουε . . λέγωσιν.* § 29 *μηδεμίαν . . ἀλλ'.* § 30 *νόμιζε . . σπουδάζων* § 32 *τρύφα . . βουλεύσει.* § 39 *μηδὲ . . ἐπισταμένους,* de reliquorum praeceptorum dispositione verba faciamus. Atque primum quidem regium imperium constitutum esse Isocrates dicit (§ 9), ut civitatis condicio quam optima aut efficiatur aut servetur. Quam ad rem opus esse, ut bene regnandi et mentis facultas (§ 10—14) et animi voluntas (§ 15 . . *ἐπιμέλειαν*) regibus adsit. Deinde a *μελέτω σοι* § 15 usque ad finem § 16 de administratione et magistratibus, in § 17 de legum latione, in § 18 de iurisdictione, in § 20 . . *ἀγαθὸς* et § 22 . . *ὅρκους* de deorum cultu praecipitur, in § 24 . . *πλεονεκτεῖν,* § 26 . . *χρησαμένους* traducitur oratio a domesticarum ad exterarum rerum curam, ita ut facile appareat, inde a § 15 *μελέτω σοι* usque ad § 26 verba fieri de iis rebus, quae in singulis regiae potestatis provinciis publica regis opera elaborandae sint. Tum a publica ad privatam regis vitam transitus fit, atque primum de amicorum usu (§ 27 . . § 29 *ἐξαμαρτάνοντας,* deinde usque ad *μέτεστιν* (§ 30) de morum

praestantia ac maxime quidem de temperantia agitur. Iam vero enuntiato σημεῖον ἔστω . . . ἐπιμέλειαν (§ 31) breviter comprehenduntur emolumenta, quae ex regno ad civitatem redundatura sint. Quibus civium commodis in sequentibus optime opponi videtur, quos fructus ipsum regem appetere oporteat. Nempe regem docere non tam divitiis quam gloriae studere (§ 32 .. κτήσασθαι et § 36 .. εὐδοκιμήσουσιν). Atque parari sempiternam memoriam et morum virtute (§ 36 βούλου τὰς εἰκόνας . . . σώματος καταλιπεῖν) et strenua regiorum munerum administratione (§ 36 μάλιστα μὲν πειρῶ .. § 37 .. τιμῆς ταύτης πράξεις), et intelligentiae laude, cuius acquirendae optimum auxilium positum sit cum in aliis rebus tum in studio eloquentiae (§ 37 μὴ περιίδῃς ... 39).

Sed iam finem faciam de dispositione orationis secundae disputandi, cum satis demonstrasse mihi videar, iustum conexum intercedere inter singulas sententias, licet ne verbo quidem quomodo quaeque cohaereant, diserte indicetur. Imprimis autem illud recte Benselerum contendere apparet: „Die Rede an Nikokles lässt zwar nicht folgerichtig einen Gedanken aus dem andern folgen, bringt aber doch auch das Zusammengehörige nicht an verschiedene Stellen und wiederholt das einmal gesagte nicht immer wieder von Neuem“ (Iahn. Ann. 1860, II, 123).

Quodsi forte in oratione prima dissimilia confunduntur, similia diversis locis ponuntur, ad secundae orationis exemplum certe non potest provocari. Atque Benseler, postquam ea vitia dispositionis vere inesse demonstravit (p. 122), illico id praeter dictionem ab Isocrate alienam alterum argumentum esse statuit, quo comprobetur, Isocrateam non esse illam orationem. Mihi vero dubium visum est, num tali ratiocinatione tota quaestio absoluta esset. Licet enim iam antea concessum sit, propter quasdam dictionis discrepantias Isocratem non posse pro auctore illius orationis haberi, tamen eam facile discipulo Isocratis tribuemus, quoniam studium imitandae rationis Isocrateae cum inde apparet, quod hiatus evitatur, tum inde quod multis locis ad exemplar secundae orationis vere Isocrateae verba expressa sunt (cf. Henkel l. l. p. 31 s.). Quid igitur? Num statuemus eum, qui in ver-

borum collocatione severissimis ac paene iniquis legibus sese astrinxerit, in sententiarum dispositione ne crassae quidem Minervae rationi obsecutum esse sed omnem elegantiam neglexisse? Mihi quidem ea dubitatio in mentem venit, num illae conexus inconcinnitates, quas Benseler enumerat (Iahn. Ann. p. 122), non dico Isocrati sed ulli omnino illius aetatis scriptori imputari possent; nam sub Isocratis tempora fuisse auctorem nostrae orationis, ab interpretibus iure inde concluditur, quod in Anaximenis libro qui inscribitur „ars rhetorica“ in publicum edito inter annum 340 et 330 a. Chr. n. (cf. Blass Att. beredts. II, 361—62) nonnulli loci paene ad verbum ex oratione ad Demonicum conscripta translati inveniuntur.*)

Itaque cum vix a me impetrare possem, ut illius aetatis scriptorem nescio quem omni compositionis elegantia carere putarem, adductus sum, ut primum quaererem, num interpolatoris alicuius in ipsis verbis orationis primae indicia exstarent, deinde nonne certa disponendi ratio aut in tradito verborum statu cognosceretur, aut facile emendando effici posset, quamquam me non fugit, me in tali conamine Blassium, v. d., adversarium habere, qui haec proferat (Att. beredts. II, p. 255): „In der Rede selbst müht man sich vergebens irgend eine ... Disposition und Ordnung der Vorschriften zu entdecken, ausser dass über die Pflichten der

---

*) Adnot.: Blass (l. l. p. 257 adn. 2), et Henkel (l. l. p. 28) adnotant in Anaximenis arte rhetorica c. 11 (p. 198 ed. Spengel) verba *τὰς ἐκ τῆς ἀβουλίας ἁμαρτίας* ex nostrae orationis § 36 verbis *συμφορὰς τὰς ἐκ τῆς ἀβουλίας* transscripta esse, paremque similitudinem intercedere inter Anaximenis artem rhet. c. 11 p. 199 *πιστευθέντες γὰρ ἀμφότεροι τοὺς πιστεύσαντας ἀδικοῦσιν* et Isocr. 1, 30 *ἀμφότεροι γὰρ πιστευθέντες τοὺς πιστεύσαντας ἀδικοῦσιν.* Quibus locis addi potest is, qui in Anaxim. art. rhet. c. 1 (rhet. Graec. ed. Spengel I, p. 175) exstat: *σώματι μὲν οὖν ἐστι συμφέρον ῥώμη, κάλλος, ὑγίεια, ψυχῇ δὲ ἀνδρεία, σοφία, δικαιοσύνη, τὰ δ᾽ ἐπίκτητα φίλοι χρήματα κτήματα.* Apparet enim, quamquam partitio paullum diversa est ab nostra oratione, easdem fere res enumerari. Imprimis autem dicendi singularitas *χρήματα κτήματα,* quae legitur illo loco Anaximeneo, imitatorem verborum Isocrateorum (1, 28) *πειρῶ τὸν πλοῦτον χρήματα καὶ κτήματα κατασκευάζειν* arguit.

Götter und Eltern zuerst, über Gefahr und Tod zuletzt gehandelt wird.“ Sed pergamus ad vestigia interpolationum indaganda.

Atque primum quidem ea singularitas occurrit, quod identidem quam late vis praecepti alicuius pateat, accurate explicatur formulis adhibitis: *ἔστι δὲ* .. vel *ἔσει δὲ τοιοῦτος ἐὰν* (cf. § 20 *ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας* e. q. s. § 27 *ἔστι δὲ φιλοκάλου* e. q. s. § 28 *ἔστι δὲ χρήματα μὲν* e. q. s. § 14 *τούτου δ' ἂν ἐπιτύχοις, εἰ λήγοις* e. q. s. § 21 *ἔσει δὲ τοιοῦτος ἐὰν* ... *ὑπομιμνήσκῃς*. § 31 *ὁμιλητικὸς δ' ἔσει* .. *παροξυντικὸν γάρ*. Quae locutiones cum tam saepe in prima quae fertur Isocratis oratione legantur, nusquam in reliquis paraeneticis, orationis primae proprietatem quandam stili in ea re positam esse arbitrabimur, quamvis illam quidem ab Isocrate alienam. Iam vero ea quaestio existit, utrum illa ipsi, quicunque fuit, orationis auctori an interpolatori tribuenda sint. Nam siquidquam interpolatum esse suspicio est, illa potissimum enuntiata eam speciem prae se ferunt, ut facillime postea addi potuerint. Quare si forte uno eiusmodi loco iusta interpolationis indicia deprehendi poterunt, etiam reliquae eiusdemmodi sententiae dubitationem movebunt. Atque invenisse mihi videor interpolatoris vestigia in §. 24 sententia: *Μηδὲ μετὰ βλάβης πειρῶ τῶν φίλων μήτε ἄπειρος εἶναι τῶν ἑταίρων θέλε. τοῦτο δὲ ποιήσεις, ἐὰν μὴ δεόμενος τὸ δεῖσθαι προςποιῇ. περὶ τῶν ῥητῶν* e. q. s. Age enim si confers illos locos, quos supra ex §§ 21 et 31 attuli, similem habes sententiarum introductionem. Quae vero deinde in § 31 ad *ὁμιλητικὸς* accuratius definiendum afferuntur, sic pronuntiantur, ut uno tenore longaque participiorum serie ab *ὁμιλητικὸς δ' ἔσει* pendentium singulae partes enumerentur *ὁμιλητικὸς δ' ἔσει, μὴ δύςερις ὤν, μηδὲ δυσάρεστος, μηδὲ φιλόνικος, μηδὲ* .. *ἀπαντῶν*, .. *εἴκων*, .. *ἐπιπλήττων* .. *σπουδάζων* .. *χαίρων* .. *χαριζόμενος* .. *φιλαίτιος ὤν*. Pariterque in § 21 a verbis *ἔσει δὲ τοιοῦτος ἐὰν* pendent coniunctivi *ἔχῃς, ὑπολάβῃς, ἐπιβλέπῃς*, ita ut vel hoc loco uno circuitu omnia comprehendantur atque enumerentur. In § 24 vero, quamquam et *τοῦτο δὲ ποιήσεις, ἐὰν μὴ δεόμενος τὸ δεῖσθαι προςποιῇ* et *περὶ τῶν*

ῥητῶν ὡς ἀποῤῥήτων ἀνακοινοῦ ad antecedentem sententiam *μήτε μετὰ βλάβης πειρῶ τῶν φίλων μήτε ἄπειρος εἶναι τῶν ἑταίρων θέλε* accuratius definiendam spectant, in duo enuntiata dirimuntur, ita ut parum congruant sententiis antea allatis (§§ 21. 31) quas in unum comprehensas vidimus. Neque equidem dubito, quin futurum fuerit ut verba *περὶ τῶν ῥητῶν ὡς ἀποῤῥήτων ἀνακοινοῦ,* si ab eodem auctore profecta essent, a quo illae singularum partium enumerationes in §§ 21 et 31, pari modo in unum cum antecedentibus conglutinarentur et haec fere duorum membrorum periodus efficeretur: *Τοῦτο δὲ ποιήσεις, ἐὰν μὴ δεόμενος τὸ δεῖσθαι προςποιῇ καὶ περὶ τῶν ῥητῶν ὡς ἀποῤῥήτων ἀνακοινοῖ,* praesertim cum ea quae sequuntur *μὴ τυχὸν μὲν γὰρ . . . ἐπιστήσει* ad utrumque membrum revocanda essent. Facile autem haec inconcinnitas oriri potuit, si genuinae a principio sententiae *μήτε μετὰ βλάβης πειρῶ τῶν φίλων μήτε ἄπειρος εἶναι τῶν ἑταίρων θέλε* et *περὶ τῶν ῥητῶν ὡς ἀποῤῥήτων ἀνακοινοῦ* sese exceperunt, postea ad priorem uberius explicandam interpolator nescio quis addidit *τοῦτο δὲ ποιήσεις ἐὰν μὴ δεόμενος τὸ δεῖσθαι προςποιῇ,* qua tamen in re eum fugeret, vel posteriorem *περὶ τῶν ῥητῶν* e. q. s. eodem spectare, ita ut omitteret eam cum suo additamento coniungere. Quodsi eiecerimus huius paragraphi sententiam *τοῦτο δὲ ποιήσεις ἐὰν* e. q. s., etiam eae in suspicionem venient, quas similes supra enumeravi. Apparet autem, sententiarum conexum illis sublatis non turbari; quamquam dixerit quispiam, id argumentum infirmum esse, cum in oratione paraenetica varia praecepta dentur, ita ut singula aut addere aut omittere difficile non sit.

Quid vero? num casu accidisse putabimus, quod in plerisque earum, de quibus disputo, sententiarum praeter illam dicendi singularitatem aliae et verborum et sententiarum offensiones insunt? Atque primum quidem illud breviter moneo, quod tam lata periodorum amplitudine huius orationis praecepta nusquam proferuntur nisi in § 21 *ἔσει δὲ τοιοῦτος, ἐὰν* e. q. s. et § 31 *ὁμιλητικὸς δ᾽ ἔσει . . παροξυντικὸν γάρ.* Deinde quantas sententiae ineptias verba *ἔστι δὲ χρήματα μὲν . . δυναμένους* (§ 28) prae se ferant,

vix quemquam fugiet. Etenim nisi *χρήματα καὶ κτήματα* mera figura rhetorica est, ita ut, quo maiorem vim sententia accipiat, duo verba idem significantia propter similem potissimum sonum iuxta ponantur, nil tamen interesse hoc loco inter utrumque substantivum potest, nisi ut *χρήματα* significet res ad praesentem vitae usum pertinentes, *κτήματα* idem fere sibi velit atque notum illud Thucydideum *κτῆμα εἰς ἀεὶ*, „res in aeternam memoriam profuturas". Neque vero sic distingui possunt haec substantiva, ut verba *χρῆσθαι* et *κτᾶσθαι* iterum ac saepius inter se opponuntur [cf. Schneider, l. l. adnot. ador. 1, 16, 2], quoniam *χρῆμα* singularem „utendi" vim, quae inest in verbo *χρῆσθαι*, paene exuit et in generalem notionem „rei familiaris" abiit, *κτῆμα* non tam cum tempore praesenti *κτᾶσθαι* quam cum perfecto *κεκτῆσθαι* notionis quandam cognationem habet. Attamen eiusmodi discrimen statuere cogimur factum esse ab eo, qui definitionem addidit: *ἔστι δὲ χρήματα μὲν τοῖς ἀπολαύειν ἐπισταμένοις, κτήματα δὲ τοῖς κτᾶσθαι δυναμένοις*. Quacum si concentum aliquem in vertenda antecedenti sententia efficere vellemus, *χρήματα* sic fere nobis interpretandum esset, ut Schneider vult (adnot. ad § 28, 1) „dinge, die nutzbar sind" (*ἀπολαύειν*), vel „genussmittel", *κτήματα* „dinge, die ergiebig sind" (*κτᾶσθαι*) vel „erwerbsmittel". Quis autem Isocrateae aetatis scriptor unquam cum tali notione alterutrum illorum substantivorum usurpavit aut quem omnino illius temporis hominem Graecum in tam singulari vocum usitatissimarum usu offensurum non fuisse putamus? Mihi vero multo verisimilius videtur, non ut artificiosa quaedam distinctio inesset, sed ut figura rhetorica quod *ὁμοιοτέλευτον* vocant, efficeretur, duas voces utpote vulgo idem significantes iuxta positas esse. Quare enuntiatum *ἔστι δὲ χρήματα μὲν* e. q. s., quod vel propter introductionis formulam suspicionem movere supra nobis visum est, cum ab ipsa sententia respuatur, non dubito homini grammatico tribuere, qui tanquam specimen etymologicae, ut ita dicam, doctrinae proponere voluerit; — nam Blassii emendatio, qui in praefatione alterius editionis orationum Isocratearum Benselerianae admodum dubitanter legendum proponit *χρήματα καὶ μὴ κτή-*

ματα et deinde *κτᾶσθαι* (vel *κεκτῆσθαι* secutus Stobaei verba 94, 19) *μόνον*, stare non potest, siquidem supra recte suspicati sumus, Anaximenis verba (Spengel rhet. Graec. I p. 175): *φίλοι χρήματα κτήματα* e nostro loco originem duxisse.

Itaque postquam in nonnullis sententiarum supra notatarum, praeter illas introductionis formulas iterum atque iterum repetitas, offensiones quasdam in esse demonstravimus, temerarium non videtur, etiam eas eiicere, in quibus alia dictionis vitia non deprehenduntur: § 14 *τούτου δ' ἂν ἐπιτύχοις* e. q. s. § 20 *ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας* e. q. s. § 27 *ἔστι δὲ φιλοκάλου* e. q. s. Quid vero? quod et in § 14 et in § 20 eae sententiae inter quas illae interpositae sunt, ad res pertinent et ab antecedentibus et ab insequentibus sententiis valde alienas? Nonne facile ad eam opinionem perducimur, ut conexum illis eiiciendis sanandum esse putemus? At dispositionis, inquiunt, certa ratio neque inest in hac paraenesi neque emendatione effici debet. Mihi vero eam opinionem indignam videri, quam de discipulo Isocratis utpote auctore huius orationis concipiamus, iam supra exposui. Atque eo minus a me impetrare possum, ut recte illos iudicasse credam, quod in prooemio (§ 5) dispositio proponitur: *ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι καὶ ποίοις τισὶν ἀνθρώποις ὁμιλεῖν καὶ πῶς τὸν ἑαυτῶν βίον οἰκονομεῖν.* Cui partitioni quamquam quispiam non multum tribuendum opinetur, praesertim cum primo obtutu verba *πῶς τὸν ἑαυτῶν βίον οἰκονομεῖν* non multum differre ab antecedentibus sed idem fere quod inest in *ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι καὶ ποίοις τισὶν ἀνθρώποις ὁμιλεῖν* breviter complecti videantur, nescio tamen an vera dispositio orationis satis diserte distincteque indicetur illis verbis.

Atque ut demonstremus, quomodo singula praecepta in has partes propositas distribuantnr, paullisper mittamus quaerere, ubi posita sint ea, ad quae spectent verba § 5: *ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι*, primum disseramus de iis, quorum summa verbis *ποίοις τισὶν ἀνθρώποις ὁμιλεῖν* comprehensa esse videatur, quoniam

eius partis fines facilius quam reliquarum inveniri et constitui possunt. Et initium quidem plane conspicuum est in § 24 *Μηδένα φίλον ποιοῦ, πρὶν ἂν ἐξετάσῃς* e. q. s., quibus verbis, cum antea de iureiurando dictum sit, ad rem prorsus diversam ab antecedentibus transitus fiat. Erit igitur iam videndum, quousque haec pars pertineat. Quam rem sic instituemus, ut insequentes sententias, quomodo cohaereant, accuratius examinemus. Atque in §§ 24 et 25 usque ad verba *ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγιγνώσκομεν,* quaenam ratio in elegendis amicis sequenda sit, exponitur. Deinde usque ad § 26 verba *ταῖς εὐεργεσίαις,* quomodo Demonicus ipse erga amicos sese gerere debeat, praecipitur. Iam vero quae sequuntur usque ad *πράττουσι φθονοῦσιν* iustum progressum turbare videntur, quippe quae potius cohaereant cum iis praeceptis, quae antea (§ 24 et § 25) de delectu et examine amicorum data sunt, quam cum iis, quae de munificentia et observantia erga amicos inde ab *οὕτως ἄριστα χρήσει* (§ 25), . . . *εὐεργεσίαις* (§ 26) proferuntur et postea verbis *τῶν ἀπόντων φίλων . . . ὀλιγωρεῖν* continuantur. Quam ad confusionem accedit, quod ipsa sententia, qua turbatur nexus, inconcinnitatem quandam habet. Ecce enim sententiam: „Amicos tibi assume non solum eos, qui te rebus adversis obrutum conquerantur, sed etiam eos, qui tibi, si bene te habes, non invideant“: Ratio potius postulare videtur, ut non duo amicorum eligendorum genera distinguantur, quorum alteri altera laude excellant, sed unum ponatur eorum, qui et misericordiae virtute ornentur neque invidiae vitio deformentur. Itaque sic potius dictum esse exspectaremus, si recte se verba haberent: *ἀποδέχου τῶν ἑταίρων τοὺς μὴ μόνον ἐπὶ τοῖς κακοῖς δυςχεραίνοντας ἀλλὰ καὶ* — omisso altero *τοὺς* — *ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς μὴ φθονοῦντας.* Itaque cum et iustus progressus impediatur et ipsa sententia sicut in codicibus legitur, claudicet, nescio an interpolationem hoc loco factam esse statuamus. Qua eiecta reliqua praecepta cum bene procedunt tum spectant ad usum amicorum et consuetudinem cotidianam. Nam cum primo quidem in §§ 27 et 28 oratio ad vestitum et usum divitiarum paululum aberrare videatur, haud inepte tamen sub finem § 28 ad

amicitiam reflectitur, ita ut Demonicus iubeatur pecuniam cum in ipsius tum in amicorum rem convertere. Tum vero inde a § 29 ab eis praeceptis, quae de amicis parandis tractandisque data sunt, transitus fit ad ea, quae ad homines non tam arto consuetudinis amicitiaeque vinculo cum Demonico coniunctos pertinent. Atque admonetur ille quidem, ut bonis hominibus beneficia praestet, improbos ne adiuvet, oderit adutatores, ne faveat iis, qui ipsius libidinibus indulgeant, erga cives comem se praestet, in conviviis ebrietatem fugiat. In § 33 denique, quantum animi cultus potissimum ad cotidianam hominum consuetudinem valeat, exponitur. At sententiam insequentem (§ 34) *οὓς ἂν βούλῃ ποιήσασθαι φίλους, ἀγαθόν τι λέγε περὶ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἀπαγγέλλοντας. ἀρχὴ μὲν γὰρ φιλίας ἔπαινος, ἔχθρας δὲ ψόγος,* cum non tam ad universam hominum consuetudinem quam ad amicorum familiaritates parandas spectet, subito a posteriore rursus ad priorem particulam transsilire apparet. Sed nescio an id mente ac ratione auctor orationis faciat, ut hoc loco eo unde profectus erat in § 24, recurrat. Nempe cum facile perspiciatur, inde ab insequenti § 34 ad novam orationis partem transiri, auctor orationis finem eius partis, quae erat de amicitia et consuetudine cotidiana, distincte indicare voluisse videtur ita, ut extremam sententiam similem effingeret ei, quam in initio posuit. Cuius proprietatis exemplum etiam alio loco in tempore afferendi occasio erit. Nunc vero pergamus ad reliquarum partium dispositionem enucleandam.

Atque siquidem supra recte posuimus, partitionem in § 5 propositam servari in ipsa pertractatione, cum summa eius partis, de qua modo disputavimus, insit in verbis (§ 5) *ποίοις τισὶν ἀνθρώποις ὁμιλεῖν,* sequentia *καὶ πῶς τὸν αὑτοῦ βίον οἰκονομεῖν* (§ 5) spectare debent ad ea, quae inde a § 34 praecipiuntur. Quibus sententiis monetur Demonicus, ut semper consilio utatur cum in omnibus rerum humanarum condicionibus (§§ 34, 35) tum in vita publica (36—39), in qua plurimum valeant oboedientia erga reges et iustitia. Postquam autem singula praecepta illuc pertinentia prolata sunt, tanquam optimum bene sibi consulendi

adiumentum animi cultus proponitur. Denique haec praecepta, quae ad bene consulendum rebus futuris spectant, excipiuntur iis, quibus quomodo optime res praesentes tolerentur et pericula ultro oblata obeantur, exponitur. Si autem huius partis summam cum antecedenti conferimus, ita opponi utraque videtur, ut illa explicetur, quomodo hominibus, hac, quomodo rebus vitaeque condicionibus utatur Demonicus. Quid vero? Nonne harum partium summa ea est, quam ad verba prooemii § 5 *ποίοις τισὶν ἀνθρώποις ὁμιλεῖν καὶ πῶς τὸν βίον οἰκονομεῖν* facile revocemus?

Quae cum ita sint, reliqua partitionis (§ 5) verba *ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι* ad ea praecepta, de quibus nondum disputavimus (§ 14—23), referenda esse suspicabimur. Sed accuratius de harum §§ dispositione disseramus. Atque si singula enumerare licet, haec praecipiuntur: In §§ 13 et 14 . . . *παῖδας* Demonicus admonetur, ut deos revereatur, iusiurandum servet, parentes iusto honore afficiat; deinde ab *ἄσκει* (14) usque ad *δυνάμενος* de corporis valetudine colenda, in § 15 . . . *φρόνιμος εἶναι δόξεις* de urbanitate verba fiunt. Iam in § 15 animi morumque quaedam virtutes proponuntur, decorum, pudor, iustitia, temperantia. Quibus quamquam non satis perspicuum est, num interpretationis causa adiiciantur § 16 verba usque ad *τοῖς δὲ νόμοις πείθου*, tamen, quae deinde sequuntur *τὰς ἡδονὰς θήρευε* e. q. s. retro spectare apparet ad virtutem *σωφροσύνης* (15) uberius definiendam. Nempe voluptatibus ita temperare Demonicus iubetur, ut eas tantum appetat, unde bonam existimationem percipiat. Adduntur autem inde a § 18—19 nonnulla de sapientia, in § 20 de comitate exercendis, in § 21 de laboribus subeundis, de libidinibus compescendis. Finitur denique haec pars ita, ut praecipiatur de fide praestanda (§ 22 — *πιστεύειν*), de fiducia adiungenda (*περὶ τῶν . . ἀκούουσιν*), de iureiurando (§ 23). Qua in enumeratione nullam adhuc dispositionis rationem indicavi. Nimirum difficile est certum quendam horum praeceptorum ordinem cognoscere. Nihilo tamen secius, cum et interpolamenta inesse in hac oratione supra nobis visum sit, et duas reliquas orationis partes non male

dispositas esse demonstraverimus, iustus conexus enucleandus vel emendatione efficiendus erit. Atque longe plurimae illarum sententiarum de universis moribus ingeniisque perpoliendis dictae videntur, ita ut non tam quid ad varias vitae humanae condiciones utile sit — de hac enim re in parte altera et tertia satis praeceptum est —, quam quid per se honestum sit exponatur. Quodsi in universum hanc primae partis summam esse statuere licet, negari non potest, nonnulla enuntiata in sententiam prorsus diversam prolata esse. Velut suo iure Benseler (l. l. p. 122) eminentibus typarum formis sese offendere indicavit, quod postquam in § 13 et 14 usque ad *τοὺς ἑαυτῶν παῖδας* de religiosissimis virtutibus, de pietate erga deos et parentes praeceptum est, subito transitus fit ad res leviores potiusque in faciei quam in animi cultu versantes, ad valetudinem colendam et risum linguam vultum compescenda, deinde reditur a § 15 verbis *ἡγοῦ μάλιστα* ad morum ingeniique virtutes exercendas. Similis vero offensio inest in § 20, quippe quae magis ad hominum usum, quam ad honestatis curam spectet. Quid vero? quod et in § 14 et in § 20, in quibus Benselerum haerentem modo vidimus, sententiae inveniuntur, quibus interpolationis notam praefixam esse supra monuimus: *Τοῦτον δ' ἂν ἐπιτύχοις, εἰ λήγοις . . δυνάμενος* et *ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας . . ἐπιτυγχάνειν.* Huc adde, quod ibidem praecepta insunt contraria eis, quae aliis locis proferuntur. Velut quod in § 14 Demonicus admonetur, ne nimis laboribus corpus exerceat, non prorsus concinere videtur cum § 21 verbis *γύμναζε σαυτὸν πόνοις ἑκουσίοις ὅπως ἂν δύνῃ καὶ τοὺς ἀκουσίους ὑπομένειν,* quibus sese adsuescere molestiis iubetur. Quae cum ita sint, cum § 15 inde ab *ἄσκει τῶν περὶ τὸ σῶμα γυμν.* et § 15 usque ad *φρόνιμος εἶναι δόξεις* et tota § 20 a summa earum sententiarum, inter quas positae sunt, valde recedant, cum insint verborum eae singularitates, in quibus interpolationis indicia cognovimus, cum nonnulla praecepta cum iis, quae aliis locis proferuntur, certent, illos locos totos eiiciendos propono.

Iam vero quae supersunt huius partis sententiae quam-

quam eo communi vinculo coniunctae esse videntur, ut de morum ingeniique virtutibus exercendis dictae sint, singularum dispositionem illico perspicere obstaculis nonnullis prohibemur. Atque summas difficultates praebent verba § 15 inde ab *ἡγοῦ μάλιστα* usque ad § 16 *τοῖς δὲ νόμοις πείθου.* In quibus, cum antea (§§ 13. 14) de deorum parentumque reverentia uberius dictum sit, iure offendit Benseler, quod repetitur: *τοὺς μὲν θεοὺς φοβοῦ* et *τοὺς δὲ γονεῖς τίμα.* Nam sane quidem haec tolerari tum demum possent, si sententia in fine alicuius partis posita esset et tamquam summam singulorum praeceptorum concise in unum comprehenderet. A qua ratione tamen quam longe distet, verba *τοὺς δὲ φίλους αἰσχύνου, τοῖς δὲ νόμοις πείθου* quam clarissime docent, quippe cum de amicis demum inde a § 24 et de legum oboedientia in § 36 *πείθου μὲν τοῖς νόμοις* e. q. s. copiosius disseratur. Mirum igitur illud in enuntiato *τοὺς μὲν θεοὺς φοβοῦ, τοὺς δὲ γονεῖς τίμα, τοὺς δὲ φίλους αἰσχύνου, τοῖς δὲ νόμοις πείθου* inesset, ut prior pars spectaret ad res antea tractatas, posterior quasi praeoccuparet eas, de quibus alio loco hinc prorsus remoto verba fiunt.

Aliam vero offensionem praebet sententia *μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν· καὶ γὰρ ἂν τοὺς ἄλλους λάθῃς, σεαυτῷ συνειδήσεις,* cui simillima paulo post iterum exstet in § 17: *ἅπαντα δόκει ποιεῖν ὡς μηδένα λήσων· καὶ γὰρ ἂν παραυτίκα κρύψῃς ὕστερον ὀφθήσει·* quarum mihi quidem alterutra supervacanea ne dicam molesta esse videtur.

De verbis denique *ἡγοῦ μάλιστα σεαυτῷ πρέπειν κόσμον, αἰσχύνην, δικαιοσύνην, σωφροσύνην* alii interpretes aliter iudicaverunt, cum neque *κόσμον* pro vulgari substantivo *εὐκοσμία* usurpari posse putarent, et verbum *κρατεῖσθαι* quomodo hoc loco interpretandum esset dubitarent. Atque Schneideri quidem opinio (l. l. adnot. ad § 15 p. 11) qui *κόσμον* attributi instar cum verbo *πρέπειν* coniunctum velit, ita ut sit: „Glaube dass dir am meisten als Schmuck ziemt Scham, Gerechtigkeit, Mässigkeit“, nescio an probabilis non sit. Nimirum sicut nunc verba exstant, fieri paene nequit,

quin coordinationis, quae dicitur, rationem intercedere inter quatuor illa substantiva arbitremur, ita ut saltem, si Schneideri interpretationem sequamur, particulam *ὡς* ante *κόσμον* insertam exspectemus.

Aliam viam Blass iniit. Cui cum neque *κόσμον* neque *κρατεῖσθαι* iustam interpretationem habere videretur, *κόσμον* eiiciendum, *κρατεῖσθαι* in *κοσμεῖσθαι* emendandum censuit (cf. Att. bereds. II, 258); quae quidem emendatio vel eo commendari videtur, quod cum substantiva *αἰσχύνην, δικαιοσύνην, σωφροσύνην* propter soni aequabilitatem iuxta posita esse quispiam opinari possit, substantivo *κόσμον* addito figura illa rhetorica deletur. Attamen ne in Blasii opinionem accedam, ipsa sententia impedior. Etenim cum de pudore et iustitia, quae proponuntur substantivis *αἰσχύνη δικαιοσύνη*, in sententiis deinceps sequentibus sermo non sit, ad *σωφροσύνην* autem referri possint quaecunque proferuntur inde a § 16 verbis *τὰς ἡδονὰς θήρευε* usque ad § 21 verba *τούτων ἐγκράτειαν ἄσκει πάντων, κέρδους, ὀργῆς, ἡδονῆς, λύπης*, scrupulos mihi movet, quod hoc loco omnino mentio fit pudoris et iustitiae, praesertim cum de iustitia satis longo intervallo interposito iterum copiosius praecipiatur. Quae cum ita sint, non solum *κόσμον* sed etiam *αἰσχύνην δικαιοσύνην* ex § 15 removenda censeo. Ne tamen nimio arbitrio in hoc loco sanando usi esse videamur, ea, quam effecimus, sententia *ἡγοῦ μάλιστα σαυτῷ πρέπειν σωφροσύνην* fidem quandam accipit loco Isocrateo (or. 9, 22), ex quo colligi licet, virtutem *σωφροσύνης* potissimum adulescentulis doctrina Graecorum morali sequendam proponi. Sunt autem haec verba: *παῖς μὲν ὢν Εὐαγόρας ἔσχε κάλλος καὶ ῥώμην καὶ σωφροσύνην, ἅπερ τῶν ἀγαθῶν πρεπωδέστατα τοῖς τηλικούτοις ἐστίν,* in quibus *κάλλος* et *ῥώμην* spectant ad corporis laudes, *σωφροσύνη* sola ex animi ingeniique virtutibus laudatur, utpote quam adolescentulos quam maxime colere deceat.

At quid de sequentibus verbis *τούτοις γὰρ ἅπασι δοκεῖ κρατεῖσθαι τὸ τῶν νεωτέρων ἦθος* statuemus, quoniam apparet si omittuntur *κόσμον, αἰσχύνην, δικαιοσύνην,* solum relinquitur *σωφροσύνην,* stare non posse *τούτοις γὰρ ἅπασι* ...

Mihi quidem vel haec sententia eradenda videtur, quippe cuius origo facillime revocari possit ad eundem interpolatorem, qui *κόσμον αἰσχύνην δικαιοσύνην* addidit. Atque etiam ex ipsis verbis aliquid argumenti nostrae opinioni accedit. Nam si premitur id, quod ab codicibus exhibetur, *δοκεῖ*, miram speciem haec sententia praebet. Age enim, ponamus sic ab ipso paraeneseos auctore scriptum esse, nonne quasi temere vis sententiae infringitur addito illo „*δοκεῖ*“? Exspectamus enim in genere paraenetico ea tantum praecipi, quae honesta esse inter omnes constet, non ea quae ei soli, qui praecipiat laudabilia videantur. Itaque pro *δοκεῖ*, si genuinum illud enuntiatum esse statueremus, ponendum esset *δεῖ*, sin spurium esse putamus, *δοκεῖ* suam habet explicationem. Nempe is, qui *κόσμον, αἰσχύνην, δικαιοσύνην* addidit, causam, opinor, cur adderet, exprimere voluit sententia *τούτοις γὰρ ἅπασι* e. q. s. Ne autem nimis arroganter ipsius scriptoris sententiam explere vel corrigere videretur, modeste quodammodo sibi quidem illa supplenda videri verbo *δοκεῖ* indicavit.

Quare cum inde a verbis *ἡγοῦ μάλιστα* (§ 15) usque ad *τοῖς δὲ νόμοις πείθου* (§ 16) in omnibus fere sententiis aliquid claudicare demonstraverimus, locus apte sic expediri videtur, ut omnia tollantur praeter *ἡγοῦ μάλιστα σεαυτῷ πρέπειν σωφροσύνην*, ad quam sententiam uberius explicandam pergatur inde a verbis *τὰς ἡδονὰς θήρευε* (§ 16).

Sed iam, postquam quae eiicienda putaremus, exposuimus, restat ut earum quae in prima parte orationis relinquuntur sententiarum dispositionem enucleemus. Atque orditur oratio in § 13 a sanctissimis religiosissimisque officiis, a pietate erga deos et parentes [§ 13 — *παῖδας* (14)], deinde verbis *ἡγοῦ μάλιστα σεαυτῷ πρέπειν σωφροσύνην, τὰς ἡδονὰς* e. q. s. transit ad *σωφροσύνην* commendandam, qua in re primum quid appetendum, deinde quid fugiendum sit exponitur. Atque, ne quid ipsius existimationi detrahatur, in voluptatibus Demonicus rationem semper habere iubetur, quid decorum honestumque sit [*τὰς ἡδονὰς θήρευε . . ἐπιτιμήσῃς* (17)], deinde in §§ 18 et 19 admonetur, ut sapientiae vacet. Ne vero cui videatur commune vinculum inter *σωφροσύνην* et

σοφίαν nullum intercedere, ex aliis scriptoribus exempla afferri possunt, quibus demonstretur *σωφροσύνην* paene in notionem sapientiae abiisse. Velut in Theognidis elegiis v. 101 legitur *οὐδ᾽ εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχοις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,* quod interpretandum est „licet sapientia Rh. utaris", et apud Thucydidem 1, 32 *περιέστηκεν ἡ δοκοῦσα ἡμῶν πρότερον σωφροσύνη . . . νῦν ἀβουλία οὖσα,* et Xenoph. *Ἀπομνημ.* 3, 9, 4 *σοφίαν δὲ καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζε.* At Benseler breviter singula paraeneseos praecepta enumerans (Jahn. Ann. 1860 II, 122 f.) insignibus typarum formis indicat, se offendere, quod de sapientiae studio et animi eruditione tribus locis §§ 18. 19, § 33, § 40 verba fiant. Sed fugisse eum videtur, quam bene illorum praeceptorum suum quodque locum in singulis orationis partibus habeat. Etenim cum in tres partes singulae huius orationis adhortationes divisae esse nobis visae sint, ita ut in prima diceretur de iis virtutibus quae per se honestae essent, in secunda et tertia de iis, quae ad amicorum usum et reliquas vitae condiciones utiles essent, aptissime in primae partis §§ 18. 19 quantam praestantiam per se habeat sapientia exponitur, in secundae § 33 quantum adiumenti in sapientia animique cultu ad hominibus bene utendum insit, in tertiae denique § 40 quantum fructus ex mente exercenda ad singulos vitae casus bene componendos percipiatur.

Quoniam igitur ea quae in §§ 18. 19 de sapientia praecipiuntur, et quadrare in primae partis nexum sententiarum optimeque cohaerere cum virtute *σωφροσύνης* neque a similibus sententiis temere diremta esse demonstravimus, pergamus ad reliquas eius partis sententias. Atque quae sequitur in § 21 — nam § 20 supra eiecimus — *γύμναζε σαυτὸν . . ὑπομένειν* facile ad *σωφροσύνην* refertur. Deinde verbis *ὑφ᾽ ὧν κρατεῖσθαι τὴν ψυχὴν αἰσχρόν, τούτων ἐγκράτειαν ἄσκει πάντων, κέρδους, ὀργῆς, ἡδονῆς, λύπης* breviter proponi videntur quae hominibus *σωφροσύνης* studiosis fugienda sint, cum antea praeceptum sit de iis rebus, quae appetendae sint. Itaque nescio an huius partis summa aptissime expressa sit verbis § 5 *ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι.*

Sed nondum adhuc de §§ 22 et 23 disputavi. In quibus aliquem offendere potest quod iterum (cf. § 13) de iure iurando verba fiunt. Attamen haec eadem componendi singularitas esse videtur, quam in partis secundae dispositione cognovimus, ut in initio et in fine similes sententiae ponerentur. (cf. § 24 *μηδένα φίλον ποιοῦ* et q. s. et § 33 *οὓς ἂν βούλῃ ποιήσασθαι φίλους* e. q. s.)

Sed iam finem faciamus de prima quae fertur oratione Isocratea disputandi. Quam si mihi contigit, ut probarem Isocrati quidem propter quasdam stili discrepantias tribui non posse, sed, modo eiicerentur interpolationes, quarum vestigia indagavi, haud inepte in tres partes dispositam esse, satis habeo.

Restat autem, ut appendiculae instar, quam supra (p. 37) polliciti sumus, de genuino qui videatur statu orationis secundae ad Nicoclem conscriptae pauca addamus.

II.

In oratione secunda Isocratea, quomodo factum esset, ut de interpolationibus viri docti cogitarent supra exposui, quo loco de codicum scriptura (p. 25 s.) disputabam. Nempe cum maxima eius pars, inde a § 14 usque ad finem § 39 in orationem quintam decimam translata sit, ita tamen ut nonnullae in oratione secunda a codicibus exhibitae sententiae in orationis 15. libris mann scriptis, Vaticano, Laurentiano Ambrosiano non inveniantur, facile effectum est ut alii viri docti orationem secundam in oratione 15 in artius contractam ab ipso Isocrate putarent, alii, quibus sincerior status in or. 15 codicibus exstare videretur, in orationis 2 contextu sententias vere Isocrateas interpolationibus auctas esse censerent. Atque postquam huius opinionis auctor Benseler (cf. de hiatu p. 37 ff.) exstitit, illam amplexus est Brueckner (cf. Progr. Schweidnitz 1852), cuius quiden argumentis etiam Blass (cf. Att. beredts. II, p. 249 f.) subscripsit. (Praeterea cf. Blasii ed. alteram orationum Isocratis Benselerianam praef. p. XI.) Mihi vero, quamvis cunctanter contra Brueck-

nerum et Blassium, vv. ill., disputare animum inducam, Benseler haud iniuria dubitationes illas movisse videtur, num genuinum contextum orationis secundae codices praeberent. Quae sententia cum etiam Arnoldo Hugio, v. d., probata sit (cf. Jenaer Literaturzeitung 1878 p. 617) valde doleo, eum nondum ad hunc diem accuratam de ea re quaestionem instituisse, id quod occasione oblata in tempore se facturum esse promisit. Nil igitur relinquitur, nisi ut ipse, quantulumcunque efficere possim, contra illos vv. dd. disseram.

Atque Brueckner, cum Benseleri offensiones in eo versentur, quod singulis orationis 2 enuntiatis et iis quidem in oratione 15 omissis aut nexus sententiarum turbetur aut ipsa verba a distincta et perspicua dicendi ratione Isocratea recedant, sic defensionem instituit, ut neque oportere „in eo orationis genere nimium tribui sententiarum nexui (p. 9) contendat et quasi luces aut interpretando aut emendando iis locutionibus admoveat, quae Benselero obscuritate laborare videantur. Tanquam gravissimum autem argumentum in aciem producit id, quod causas cognosci posse putat, cur singulae orationis 2 sententiae in oratione 15 omittantur. Scilicet Isocratem, cum „specimina tantum ex orationibus suis velut fructus quosdam exhiberet, ne legentium sive audientium patientia abuteretur“ (p. 8), „ea reiecisse, tum invidiosa quaecunque putarentur, tum Nicoclis rationes quae penitius attingerent“ (l. l. p. 8). Quarum rationum quanta cuique vis insit, priusquam singulis locis quaeramus, in universum pauca praemonenda sunt. Nam primum quidem illud mihi parum verisimile videtur, quod Brueckner contendit, Isocratem ipsum, cum antea in oratione 2 conscribenda praecepta quaedam protulisset, quae „penitius Nicoclis rationes attingerent“, illa in oratione 15 brevitatis causa omisisse. Quid enim? quod in prooemio (2, 6) Isocrates, in universum se dicturum esse de bene regnandi ratione, profitetur et in peroratione (§§ 40. 41) quasi quodammodo excusat, se non nova invenisse in illa oratione sed ea collegisse, quae antea in multorum mentibus fuissent. Quibus verbis cum quasi a principio Isocrates peculiariter praecipiendi rationem se secuturum non esse indicet, sententiae

in oratione 15 prolatae, siquidem magis universe dictas eas esse Brueckner iure contendit, eam ipsam ob causam maiorem sinceritatis speciem prae se ferunt, quam eae, quae „Nicoclis rationes penitius attingunt“, in orationis 2 codicibus additae. Deinde ne de conexu sententiarum quidem, cui paullo maiorem licentiam in genere paraenetico Brueckner condonari iubeat, cum eo consentio. Etenim cum in codicibus longe maxima praeceptorum pars bis legatur, si alterutro loco certa disponendi ratio sententiarumque cohaerentia deprehenditur, verisimile non est, eam ab initio defuisse. Quare quoniam in sententiis quae in oratione 15 leguntur, iustum conexum inesse supra demonstravimus, ad eandem dispositionem is verborum status revocandus est, qui legitur in orationis secundae codicibus. Atque si addidamenta illa orationis secundae apta erunt huic praeceptorum ordini, genuina ea esse putabimus posteaque brevitatis causa in oratione 15 omissa. Sin effici poterit, minus concinne illa intercalata esse, hoc defendere non licebit ita, ut provocetur ad genus paraeneticum, in quo severus sententiarum progressus exspectari non debeat. Quibus praemunitis iam transeamus ad singula.

Atque primum quidem in oratione 15 omittuntur § 19 verba *οἴκει τὴν πόλιν . . καταλείψεις*. Quibus in verbis cum de prima sententia *οἴκει . . . διαρκῇς* mirum quantum dissentiant Benseler et Brueckner, videamus, utrius v. d. argumentis plus fidei adiungendum sit. Mire enim et obscure dicta esse Benselero videntur. At Bruekner quamquam difficultatem habere interpretationem vocis *πράξεις* ipse quoque concedit, eam tamen iam ante Benselerum ab Hieronymo Wolfio et Coraë recte explicatam dicit verbis *τὰς περὶ τὰς προςόδους τῆς πόλεως*, ita ut sit: „diligenter urbem administra exigendis tributis“. Et sane quidem, si ad sequentia verba spectas, haec significatio paene flagitatur verbo *διαρκῇς*, id quod recte Brueckner monuit (p. 10). Attamen si persuasurus nobis erat, Isocrateum hunc esse locum, non solum demonstrare debebat, non posse aliter explicari vocem *πράξεις* — qua quidem in re prorsus cum eo facio — sed etiam posse in Isocrate eam notionem subesse, id quod mihi quidem valde dubium videtur. Nam certe si similes apud

illum locos quaeris, non *πρᾶξις* sed *εἴςπραξις* (12, 63. 67) legitur. Licet autem hanc discrepantiam non premam, ei rei vel plurimam tribuo quod utroque loco genetivus *τῶν φόρων* adiicitur.

Quamquam dixerit quispiam, non posse ex duobus locis concludi, tali genetivo addito opus esse, ut notio „eintreibung der steuern" eluceat. Et Benseler quidem illam, quam ab Isocrate hoc loco substantivo *πράξεις* tributam vult, vim subesse posse duobus locis ex Demosthenis orationibus petitis comprobare studuit, quorum alter legitur in or. 56, § 45., alter in or. 22, 46 — nam errore typothetae factum esse videtur, ut pro „§ 46" typis efficeretur „§ 27" (l. l. p. 10 adnot. 6). Qui loci, cum altero (22, 46) genetivus *τῶν εἰςφορῶν* addatur, altero facile *τῶν χρημάτων* ex antecedenti „*τὰ χρήματα*" suppleri possit, parum apti sunt ad removendam illam dubitationem, num possit sola per se vox *πρᾶξις* significare „eintreibung der steuern". Itaque ego, ne temere iudicium proferrem, ex tribus Demosthenis orationibus contra Androtionem, Timocratem, Dionysodorum habitis, in quibus iterum ac saepius de exigendis pecuniis verba fiunt, alia exempla conquisivi. Inveniuntur autem *πρᾶξις* et *εἴςπραξις* genetivo vel simili notione additis: in or. 24, 8: *εἴςπραξις τῶν εἰςφορῶν;* 24, 100: *πράξεις ὧν ὀφείλουσιν.* 22, 42: *τὰς εἰςπράξεις, ἃς ὀλίγους εἰςπρᾶξαι φήσει.* 22, 46: *περὶ πράξεως τῶν εἰςφορῶν.* 22, 47: *τὴν τῶν χρημάτων εἴςπραξιν;* deest genetivus: in or. 22, 48, 60, 63, 65 *τὴν εἴςπραξιν,* in or. 24, 100 *τὰς πράξεις,* in or. 56, 35 *ἡ πρᾶξις,* in or. 56, 45 *τὴν δὲ πρᾶξιν.* Attamen horum, in quibus desideratur genetivus, locorum singularis quaedam condicio est, ita ut in eis offendendum non sit. Nempe in or. 56, 35 haec sunt verba: *τὰ δίκαια ταὐτὰ περὶ ἀμφοῖν ἐστι καὶ ἡ πρᾶξις ἡ αὐτὴ* (sc. suppleas ad *ἡ πρᾶξις* genetivum *ἀμφοῖν* i. e. *ἡ πρᾶξις καὶ τοῦ δανείσματος καὶ τῶν τόκων*). In § 45 eiusdem orationis supplendum esse „*τῶν χρημάτων*" ex antecedenti „*τὰ χρήματα*" supra monui. In or. 24, 100 vero haec leguntur: *χρῆν γάρ τοῦτό γέ σε . . προςγράψαι τῷ νόμῳ, ὅπερ ἐποίεις κατὰ τῶν τελωνῶν καὶ τῶν ἐγγυητῶν, „τὰς πράξεις κατὰ τοὺς νόμους"* — sunt autem haec

postrema verba e lege, quam Timocrates rogaverat, sumpta, itaque cum non satis liqueat, quae verba antecesserint in rogatione illa Timocratea, non potest certo diiudicari, qui genetivus supplendus sit, facile tamen „*τῶν τελῶν*“ subaudiri potest, id quod e. g. fieri necesse esset, si genuinam haberemus eam rogationis condicionem, quae in §§ 39. 40 a libris mss. exhibetur: *περὶ δὲ τῶν ὠνουμένων τὰ τέλη καὶ ἐγγυωμένων καὶ ἐκλεγόντων καὶ τῶν τὰ μισθώσιμα μισθουμένων καὶ τῶν ἐγγυωμένων, τὰς πράξεις* (sc. *τῶν τελῶν καὶ τῶν μισθωσίμων*) *εἶναι τῇ πόλει.* Pergitur deinde in illa § 100: *καὶ εἴ κατά τινων ἐν ἄλλῳ τινὶ νόμῳ . . . τὰς αὐτὰς εἴρηται πράξεις εἶναι ὧν ὀφείλουσιν, ἅς περὶ τῶν τελωνῶν καὶ κατὰ τούτων εἶναι τὰς πράξεις* (sc. *ὧν ὀφείλουσιν*) *κατὰ τοὺς ὑπάρχοντας νόμους.* Apparet igitur, his locis genetivum et posse et debere ex verbis antecedentibus ad vocem *πράξεις* suppleri. Paullo aliter res se habet in orationis 22 §§ 48. 60. 63. 65 (quibus cum locis conferas etiam orationis 24 §§ 160. 172, quae ex or. 22 translatae sunt). His enim locis neque exstat genetivus neque suppleri potest ex verbis in eadem sententia antecedentibus. Attamen cum tota illa orationis pars ad pecunias a Timocrate exactas spectet (inde a § 42), etiamsi in §§ 48. 60. 63. 65 breviter dicitur *εἴςπράξις* non addito genetivo, bene scimus ex § 42 ss., quid sit subaudiendum. Itaque non debet ad hos locos provocari, ut defendatur usus substantivi *πράξεις*, qui est in orationis Isocrateae secundae § 19, quoniam hoc quidem loco accurata definitio desideratur.

Iam vero quae de obscuritate verborum *ἔν τε τοῖς προειρημένοις* Benseler protulerat, utpote quae non haberent, quo spectarent, etsi recte a Bruecknero ad *ταῖς κατασκευαῖς* ea referente refutata esse puto, manet tamen offensio in verbis *καὶ τῷ κάλλει τῶν κτημάτων*, quorum notio nil fere differre videatur a *ταῖς μὲν κατασκευαῖς λαμπρῶς καὶ βασιλικῶς* ita ut mera molestaque repetitio insit. Itaque si haec sententia in statum Isocrate aliquo modo dignum redigenda esset, Dobraeo assentiendum esset, qui ad *ἔν τε τοῖς προειρημένοις* verba *τῷ κάλλει τῶν κτημάτων* scholii instar margini adscripta esse putat. Attamen etiam eam opinionem

de his verbis concipere licet, ut augeri putemus eis interpolationis suspicionem, quam antea iam usus substantivi *πράξεις* ab Isocrate alienus movit.

In sententiarum progressu denique, quamquam non prorsus cum Benselero facio, ipse quoque haereo. Licet enim eum conexum, quem Benseler inter § 18 et § 20 indicari putat repetito adiectivo *δίκαιος*, vere inesse mihi non persuadeam, aliam inconcinnitatem invenio, quam etiam Benseler sensisse videtur, cum adnotavit „eandem sententiam (sc. atque in § 19 prolatam) repeti in § 32". Videlicet idem inesse vituperat in verbis *τὰ γὰρ τοιαῦτα τῶν ἀναλωμάτων αὐτῷ τε σοὶ παραμενεῖ καὶ τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἄξια τῶν δεδαπανημένων καταλείψεις* (§ 19) atque in *περὶ πλείονος ποιοῦ δόξαν καλὴν ἢ πλοῦτον μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν· ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δ' ἀθάνατος* (§ 32) e. q. s. Quod tamen Brueckner (p. 10) monet „neque demonstratum esse a Benselero, neque recte demonstrari posse". Ego vero hoc concedo, non repeti ad verbum eandem sententiam, attamen communis quaedam notio et in § 19 et in § 32 occurrit, quam quidem a § 19 alienam puto. Age enim, si percenses eas sententias, quae in oratione 15 perhibentur, nusquam praecipitur, quemnam Nicocles ipse sibi fructum quaerat, nisi inde a § 32, atque cum antea ne verbo quidem admoneatur, ut ipsius gloriae, sed ut publicae saluti provideat, ad gloriam posteritatis spectant quaecunque proferuntur in §§ 32—39, id quod infra accuratius demonstrare conabor. Itaque mirari sane possumus, quod in iis sententiis, quae additae sunt in orationis 2 codicibus, nonnunquam occurrunt, quibus, quamquam multo ante § 32 collocatae sunt, gloriam sibi capessere rex iubeatur: velut in § 19 *ἵν' εὐδοκιμῇς ἅμα*, § 22 *τιμῶν γὰρ τοὺς τοιούτους μᾶλλον παρὰ τοῖς ἄλλοις εὐδοκιμήσεις*, § 30 *νόμιζε τῶν τιμῶν ἀληθεστάτας . . . ἀλλ' ὅταν θαυμάζωσιν*. Apparet igitur, satis multis de causis suspectum esse § 19.

Age vero iam transeamus ad alterum locum, qui in antidosi (or. 15) non legitur § 20 *τίμα ταῖς μὲν ἀρχαῖς* usque ad finem § 21. Quo omisso primum quidem illud recte se habet, quod iam Benseler monuit, in or. 15 verba bene sic procedere,

ut sententia § 20 *τὰ πρὸς θεοὺς . . . ἀγαθὸν* excipiatur § 22 sententia *διὰ παντὸς τοῦ χρόνου . . . ὅρκους*, copuleturque cum iustitia (§ 20) studium veritatis (§ 22), utpote quibus virtutibus optime di colantur. Iam insere verba *τίμα . . . βασιλευόντων ἐστίν*, dissolvitur conexus, qui in or. 15 inest neque habent haec, quo referantur. — nam neque ad deorum cultum spectant neque virtus aliqua commendatur, qua quis deorum gratiam sibi conciliet.

Deinde autem in ipsis verbis insunt, quae offendant. Licet enim comprobem eam interpretationem et emendationem enuntiati *τίμα . . τοὺς εὐνουστάτους*, quam Brueckner et Blass excogitaverunt, ut omisso *τῶν φίλων* haec fere opponantur: „Beehre mit Aemtern deine nächsten Verwandten, mit der Wahrheit selbst aber die Dir Wohlgesinntesten“, parum tamen haec sententia concinere videtur cum ea quae legitur in § 27: *Τοιούτους ἐφίστη τοῖς πράγμασιν τοῖς μὴ διὰ σοῦ γιγνομένοις, ὡς αὐτὸς τὰς αἰτίας ἕξων, ὧν ἂν ἐκεῖνοι πράξωσιν.* Nempe hac sententia (§ 27) eos magistratus legere Nicocles iubetur, quos summa cum religione diligentiaque suo officio functuros esse persuasum habeat, illa, ut munera publica ad homines potissimum ipsi genere proxime affines deferat, monetur, in quos non tam cum fiducia quam cum suspicione intueri necesse sit, ne regno insidias parent. Quae sicui non ita gravis sententiarum inconcinnitas videtur, ea certe in iis offensio manet, quod diversis locis de re simillima dictae sunt. Parem autem dubitationem mihi movent verba (§ 21): *κήδου τῶν οἴκων τῶν πολιτικῶν, καὶ νόμιζε . . . ἅπαντα γὰρ τὰ τῶν οἰκούντων τὴν πόλιν οἰκεῖα τῶν καλῶς βασιλευόντων ἐστί,* quoniam satis moleste idem fere atque in § 19 *οἴκει τὴν πόλιν ὁμοίως ὥσπερ τὸν πατρῷον οἶκον* paululum immutatis verbis repeti apparet. Quae cum ita sint, cum et sententiarum conexus aptior sit in antidosi neque congruentia cum aliis praeceptis effici possit, aut certe, si non certant illa atque repugnant inter se, similia a similibus diremta vel moleste repetita sint, Benselerum recte verba *τίμα ταῖς μὲν ἀρχαῖς* (§ 20) . . . *βασιλευόντων ἐστί* (§ 21) uncis inclusisse iudico. Quid vero? quod si illa pro interpolatis habemus, facile

explicari potest, cur hoc potissimum loco intercalata sint. Videlicet cum insequens (§ 22) sententia: *διὰ παντὸς χρόνου τὴν ἀλήθειαν οὕτω φαίνου προτιμῶν* e. q. s. ad virtutem sequendam spectaret, interpolator, quicunque fuit, illico in promptu habuit, quae de eadem re praeciperet (*τίμα . . . ταῖς δ' ἀληθείαις αὐταῖς* (§ 20)], ita ut facere non posset quin adderet, ratione non habita, num apte quadrarent in nexum.

Paullo minus perspicua offensio est in verbis, quae tum inde a § 22 *ἅπασι μὲν τοῖς ξένοις* usque ad finem § 23 in or. 2 locum habent, in antidosi omittuntur, cum facile quis illa quidem cum sequenti § 24 cohaerere opinetur. Neque equidem valde premo, quod in verbis *δεινὸς μὲν φαίνου τῷ μηδέν σε λανθάνειν . . ἁμαρτανομένων* idem fere inest atque in sequentibus *ἀρχικὸς εἶναι βούλου* (§ 21) e. q. s., quoniam quae in priore enuntiato per affirmationem pronuntientur, quo maiore cum vi proferantur, in posteriore per negationem dici defendere aliquis potest. Ac ne ea quidem eius § verba, quae mire dicta esse: *τοὺς πολλοὺς φόβους . . . τοῖς μηδὲν ἀδικοῦσιν* Benseler monuit in § 22. 23, mihi per se suspecta sunt.

Magis autem in sententia *περὶ πλείστου δὲ ποιοῦ τῶν ἀφικνουμένων μὴ τούς σοι δωρεάς ἄγοντας, ἀλλὰ* e. q. s. (§ 22) offendo. Scilicet cum hominum regi dona ferentium et in prooemio (§ 1) (*οἱ μὲν εἰωθότες . . τοῖς βασιλεῦσιν ὑμῖν ἐσθῆτας ἄγειν*) et in epilogo, in quo tres prooemii partes inverso ordine repeti recte Blass (Att. beredts. II, 177) monet, mentio fiat (§ 54: *βούλου δὲ καὶ τοὺς ἄλλους . . . μὴ τὰς εἰθισμένας ἄγειν σοι δωρεὰς*), valde dubito, num Isocrates in eadem oratione tertium eandem rem commemoraturus fuerit, id quod factum videmus in illa § 22 sententia. Huc accedit id, quod supra (p. 87) de sequentibus verbis *τιμῶν γὰρ τοὺς τοιούτους μ. π. τ. α. εὐδοκιμήσεις* monui, de studio gloriae praecipi demum in extrema paraeneseos parte.

Quoniam igitur in iis locis, de quibus adhuc verba fecimus, iustae offensiones inesse nobis visae sunt, ita ut facile eos pro spuriis habeamus, idem valere statuemus de sequentibus in antidosi omissis sententiis, licet per se haud magnam

suspicionem moveant in § 24 οὕτως ὁμίλει . . ἐπιχειρῶσιν, § 26 καὶ νόμιζε τελέως . . ἀτυχῆς § 27 ἀκριβεῖς ποιοῦ . . πράξωσιν. § 28 ἄκουε τοὺς λόγους . . λέγωσιν. Itaque ne diutius in his moremur, in quibus neque propria Isocratis neque ab eo aliena ratio inveniatur, pergamus ad § 29 sententiam μηδεμίαν συνουσίαν . . . ἀλλ᾽ . . . δόξεις, cuius pars prior usque ad vocem ἀλλ᾽ deest in antidosi.

Quibus in verbis hoc quidem Benseler (p. 39 cf. etiam Benseler ed. or. Isocr. praef. p. XXXVI adnot. 5) et Brucknero et Blassio persuasit, τὰς διατριβάς, quoniam nusquam in Isocratis scriptis significaret „umgang“, ne hoc quidem loco eam vim habere posse, sed sicut aliis locis interpretandum esse „studia“, „bestrebungen“ (de qua significatione uberius disseruit Benseler: commentar. ad Euagoram, p. 95). Iam vero cum in ea nostrae sententiae condicione, quam codices orationis secundae exhibeant, διατριβαὶ eandem vim habeat atque συνουσία, συνουσία non dicatur nisi de consuetudine cotidiana, Benseler effici ait, obtrudi substantivo διατριβαὶ notionem ab Isocrate alienam „umgang“. Quae argumentatio cum etiam Blassio (Att. B. II, p. 250) recte sese habere videatur, ut offensionem illam evitet, duas sententias effici vult sublata particula ἀλλ᾽ fortiusque interpungendum post ἀλογίστως censet. Sed quamquam hac emendatione recepta vim ab Isocrate alienam substantivo διατριβαὶ tribuere non cogimur, manet tamen id vitium, quod verbis μηδεμίαν συνουσίαν εἰκῇ προςδέχου μηδ᾽ ἀλογίστως denuo praecipitur de consuetudine cotidiana, quae quidem pars ad finem perducta videtur (§ 29) verbis ταῖς αὐταῖς ζημίαις . . . ἐξαμαρτάνοντας. Praeterea autem vel hoc mirum est, quod iterum ac saepius ad emendationes refugiendum est in iis potissimum sententiis, quae in antidosi non leguntur. An hoc loco emendandum non esse, Brucknero dabimus? Putat enim ille quidem, etiamsi opponantur συνουσία et διατριβαὶ, nil obstare, quin hoc „studia“ interpretemur, quoniam vel illud de iis potissimum dicatur, qui „discendi causa consuetudinem aliorum quaerant“. Attamen quamquam magistrorum et discipulorum consessus, imprimis philosophorum scholae, συνουσίαι appellantur, haec notio

nostro loco vix subesse potest, quoniam de magistris eligendis alio loco (§ 38 inde a verbis *ἃ τοῖς αὑτοῦ παισὶν ἂν συμβουλεύσειας . . . περὶ μεγάλων λέγοντας*) verba fiunt, id quod infra docere conabor. Itaque cum ii, qui ad Isocrateam rationem sententiarumque conexum verba illa § 29 in antidosi omissa adaptare student, undique in angustias compellantur, rectissime Benselerum illa pro spuriis habuisse duco.

Neque minus de sequentibus verbis quae in antidosi non exstant, *νόμιζε τῶν τιμῶν . . . σπουδάζων* (§ 30), cum Benselero consentio, quamquam ille quidem cur eicienda putaret causas accurate non indicavit, nisi quod breviter monuit, turbari ordinem, qui bene se haberet in antidosi. Eo magis autem Benseleri opinionem, quam sequor, argumentis firmare cogor, quod Brueckner (p. 13) iustam sententiarum cohaerentiam inesse demonstrare studuit. Atque defensionem illorum verborum a Benselero uncis inclusorum inde repetit, quod postquam de gloria in studio virtutis quaerenda dictum sit, optime praecipiatur, quaenam potissimum civium laus regi appetenda sit. Mihi vero ad gloriam quaerendam verba *μὴ φαίνου φιλοτιμούμενος ἐπὶ τοῖς τοιούτοις, ἃ καὶ τοῖς κακοῖς διαπράξασθαι δυνατόν ἐστι* spectare non videntur. Immo notio „gloriae captandae", quae sane ab initio inest in composito *φιλοτιμεῖσθαι*, paene obliterata est. Apud Isocratem certe duas illud verbum significationes habet. Scilicet aut interpretandum est „etwas erstreben", quam quidem notionem subesse in or. 6, 35 *τοὺς ἄνδρας . . ἐπὶ τούτῳ φιλοτιμουμένους* apparet ex insequenti synonymo *σπουδαζούσας* (cf. etiam 9, 93), aut „stolz sein auf etwas": 3, 46; 4, 44, 51, 81; 8, 41, 90; 10, 2; 14, 53; 15, 226. Quarum significationum utra nostro loco subsit, vix dubium esse potest, si insequentium verborum ratio habetur. Nam cum pariter atque in or. 4, 81 opponantur *φιλοτιμεῖσθαι* et *μέγα φρονεῖν*, vertendum esse puto: „Scheine nicht stolz zu sein auf das, was auch schlechte menschen vollbringen können, sondern dir auf deine tugend etwas einzubilden". Quam interpretationem eo magis illi Bruecknerianae praefero, quod de gloria captanda demum inde a § 32 verba fieri

fieri identidem monui. At dixerit fortasse quispiam, vel in antecedentibus verbis *ἐξ ὧν . . καὶ τοῖς ἄλλοις βελτίων εἶναι δόξεις* item praecipi, ut gloriam, virtute scilicet, Nicocles sibi paret. Nescio tamen an non recte haec vis illis verbis tribuatur. Quid enim? quod postea verbis *γιγνώσκων, ὅτι τὸ τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσιν* (§ 31) discerte indicatur, cur rex hoc loco admoneatur, ut aliis virtute praestans et esse et videri studeat: nempe non ut ipse gloriam percipiat, sed ut tanquam exemplum imitatione dignum civibus ante oculos versetur. Itaque cum neque *τοῖς ἄλλοις εἶναι δόξεις* neque *φιλοτιμούμενος ἐπὶ τοῖς τοιούτοις* sic interpretari cogamur, ut his verbis ad gloriam captandam Nicoles excitetur, iure offendemus in verbis *νόμιζε τῶν τιμῶν ἀληθεστάτας* e. q. s. in antidosi omissis, quippe quibus praeoccupetur de gloriae studio disputatio. Facile autem interpolatio sic oriri potuit, ut interpolator nescio quis cum notionem *τιμῆς* i. e. honoris captandi, in *φιλοτιμούμενος* inesse putaret, amplius de eadem re praeciperet addita sententia *νόμιζε τῶν τιμῶν* e. q. s. Quod si statuimus, mira quaedam congruentia efficitur inter originem huius loci et §§ 20. 21 interpolationum. Sicut enim illic in substantivo „*ταῖς ἀληθείαις*“ vinculum cognoscere mihi visus sum, quo interpolator ille sua addidamenta cum insequenti genuina sententia *διὰ παντὸς χρόνου τὴν* „*ἀλήθειαν*“ *οὕτω φαίνου προτιμῶν* coniungeret, sic nostro loco (§ 30) eandem rationem intercedere coniciio inter *φιλοτιμούμενος* et *τῶν τιμῶν*.

Sed erit iam accuratius id demonstrandum, in quo tanquam gravissimo argumento nisi probare modo studuimus genuina non esse verba § 30 *νόμιζε τῶν τιμῶν . . σπουδάζειν*. Erat enim cur diceremus, illa abhorrere a sententiarum conexu, ea potissimum causa, quod ponebamus de gloria regi quaerenda praecipi demum inde a § 32. Et sane quidem si eas solum sententias respicimus, quae in antidosi exstant, iterum atque iterum inde ab illo loco notiones [*δόξα* (32), *εὐδοκιμήσουσιν, τῆς ἀρετῆς ὑπόμνημα, τεθνάναι καλῶς* (36), *ὅπως μηδὲν ἀνάξιον τῆς τιμῆς ταύτης πράξεις* (37), *ὧν τὰς δόξας ζηλοῖς* (38)] ad gloriam pertinentes occurrunt, ita ut facile appareat, earum sententiarum summam

positam esse in gloriae studio commendando. Atque mihi quidem fortius interpungendum videtur inter finem § 31 et initium § 32, quippe cum exeunte § 31 priorem praeceptorum partem finiri putem. Nempe ea, quae antecedunt, spectant ad civium salutem. Quam ad rem, propositam in § 9: *τί τῶν βασιλευόντων ἔργον ἐστίν· πόλιν τε δυςτυχοῦσαν παῦσαι* e. q. s., opus esse, ut primum animus colatur, (§§ 10—14) deinde singulis regiae potestatis provinciis opera navetur, (§§ 15—26), denique in vita privata cum usus amicorum tum ipsius regis mores ad publicum commodum effingantur (§§ 27—31). Hanc vero priorem altera paraeneseos pars excipit, qua exponitur, gloriam esse optimum bene regnandi fructum, quem sibi ipsi regem carpere oporteat. Atque eisdem rebus, quibus optime reipublicae saluti consulatur, sibi ipsi gloriam quaerere Nicoles iubetur. Videlicet primum admonetur, ut virtutis potissimum memoriam posteritati tradat [*βούλου δὲ τὰς εἰκόνας τῆς ἀρετῆς ὑπόμνημα μᾶλλον ἢ τοῦ σώματος καταλιπεῖν* (36)], deinde in propriis regis muneribus administrandis decorum sequatur [*μάλιστα μὲν πειρῶ* . . . *τῆς τιμῆς ταύτης πράξεις* (37)], tum ut mentis bene cultae aeternam memoriam relinquat [*μὴ περιίδῃς* usque ad finem (§ 39)]. Videtur autem, si prioris partis dispositionem respicis, in hac altera ordine inverso usus esse Isocrates. Nam cum in illa, ubi de publica salute curanda praecipitur, primum de intelligentia colenda, deinde de publicis regis officiis praestandis tum de moribus perpoliendis dicatur, iam in altera, qua ad ipsius gloriam capessendam rex excitatur, primum morum virtutem sequi, deinde bene rem publicam gubernari, tum mentem exercere iubetur. Eo magis autem confido, eam inversam ut ita dicam responsionem ab Isocrate mente ac ratione effectam esse, quod in eadem oratione similiter inter se congruere singulas exordii et perorationis partes sagaciter Blass animadvertit (Att. ber. II, 250 adnot.). At insere verba, quae in antidosi non leguntur inde a *τρύφα μὲν* (§ 32) usque ad finem § 35, totam hanc concinnitatem dissolves; ac ne notio *δόξης* quidem, quae maxime insignis est in sententiis, quas antidosis praebet, in illis usquam occurrit, quippe quibus non tam de gloria capessenda quam

de rebus diversissimis ad regnum bene constituendum utilibus agatur. Huc adde, quod idem atque in verbis § 33 *ἐπισκόπει τοὺς λόγους ἀεὶ τοὺς σαυτοῦ καὶ τὰς πράξεις* inest in § 38 *μελέτα περὶ καλῶν ἐπιτηδευμάτων λέγειν· ἅττ' ἂν σοι λογιζομένῳ φαίνηται βέλτιστα, ταῦτα τοῖς ἔργοις ἐπιτέλει.* Cum tamen in § 33 cur prudentia colenda sit, causa satis levis indicetur „*ἵν' ὡς ἐλαχίστοις ἁμαρτήμασι περιπίπτῃς*", multo aptius in § 38 animi cultus refertur ad gloriam aeternam capessendam (*πειρῶ τῆς ψυχῆς ἀθάνατον μνήμην καταλ.*). Denique vero eo minus dubito, eas sententias quae in antidosi exhibentur, pro genuinis vereque Isocrateis habere, quod quam arte inter se cohaereant, vox *καταλιπεῖν* ter deinceps repetita (§ 32 *δόξαν καταλιπεῖν,* § 36 *τῆς ἀρετῆς ὑπόμνημα καταλιπεῖν,* § 37 *τῆς ψυχῆς ἀθάνατον μνήμην καταλιπεῖν*) docet.

Restat iam unus locus, qui in antidosi omittitur § 39 *μηδὲ τοὺς τοῖς μὲν ἄλλοις . . . ἐπισταμένους.* Praeterea autem verba *χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων,* quae in antidosi post verba *τοὺς εὖ περὶ τῶν μεγάλων λέγοντας* in fine paraeneseos collocata sunt, in or. 2 inter extremam § 38 et initium § 39 interponuntur. Atque Blass quidem, utramque verborum condicionem ab ipso Isocrate effectam arbitratus, causam sibi invenisse videtur, cur Isocrates, cum sua ipsius ut Blass quidem putat verba in artius contracta in antidosin transferret, in § 39 sententiam *χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων* suo loco moveret et in fine praeceptorum collocaret: „Die Schilderung des wahren Weisen, inquit, giebt vollständig (sc. sicut verba in oratione 2 leguntur inde a *σοφοὺς νόμιζε* usque ad *τὰς εὐτυχίας φέρειν δυναμένους*) einen vortrefflichen Schluss und Uebergang, abgekürzt dagegen nicht, daher hat Isokrates nach der Abkürzung die schliessende Gnome (sc. *χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων*) ganz zuletzt gestellt". *Εὐρυθμίας* igitur, quam Graeci dicunt, lege transpositionem illam verborum *χρῶ τοῖς εἰρημένοις* e. q. s. a Blassio defendi vides. Attamen vereor equidem, ne in eo ordine enuntiatorum, quem habemus in codicibus orationis secundae, parum ratio habeatur, quid sententia postulet. Nam primum quidem verba *χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων* per se

eam speciem praebent, ut in fine collocata ea esse exspectemus. Etenim quod dicitur *τοῖς εἰρημένοις*, hoc sibi velle videtur, ut quae praecepta in promptu habuerit orator, antea prolata sint. Itaque mirum esset, si nova postea sententia adderetur, id quod fit in orationis secundae manuscriptis, cum denuo praecipitur: *σοφοὺς νόμιζε μὴ τοὺς ἀκριβῶς . . . ἐπισταμένους.*

Praeterea autem vel inter sententiam § 38 extremam *ἃ τοῖς αὑτοῦ παισὶν ἂν συμβουλεύσειας, τούτοις αὐτὸς ἐμμένειν ἀξίου* et quae illam sequitur in antidosi: *σοφοὺς νόμιζε μὴ τοὺς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐρίζοντας ἀλλὰ τοὺς εὖ περὶ τῶν μεγάλων λέγοντας* artissimum conexum intercedere puto, qui tamen sententia *χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων* interposita in oratione 2 interrumpatur. Quid enim illud esse censes, quod Isocrates Nicoclem et ipsum sequi et liberis suis suadere iubet verbis *ἃ τοῖς αὑτοῦ παισὶν ἂν συμβουλεύσειας, τούτοις αὐτὸς ἐμμένειν ἀξίου*? Nam mihi quidem singulare quiddam indicari videtur, ad quod *τῶν „παίδων"* potissimum animum applicari Isocrates velit. Videlicet cum *οἱ „παῖδες" παιδείας* egeant, cumque ut optimam educandi rationem Isocrates satis multis locis eloquentiae studium proponat (cf. e. g. or. 15, 50, ubi eloquentia ipsa *παιδεία* appellatur), vix dubito, quin vel hoc loco ad eloquentiam tractandam Nicoclem incitare velit. Qua cum opinione bene congruunt etiam antecedentia: *μελέτα περὶ καλῶν ἐπιτηδευμάτων λέγειν· ἅττ' ἄν σοι λογιζομένῳ φαίνηται βέλτιστα,* e. q. s. Si vero recte sententiam *ἃ τοῖς αὑτοῦ παισὶν* e. q. s. interpretati sumus, ea, quae in antidosi sequitur *σοφοὺς νόμιζε μὴ τοὺς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐρίζοντας ἀλλὰ τοὺς εὖ περὶ τῶν μεγάλων λέγοντας*, artissime cum illa cohaeret ita, ut quibus eloquentiae magistris utendum sit iis, qui eloquentiae operam daturi sint, explicetur. Unde efficitur, sententiam *χρῶ τοῖς εἰρημένοις* e. q. s. inter sententias artissimo vinculo inter se conjunctas locum habere non posse, sed aut post *λέγοντας* aut siquis verba *μηδὲ τοὺς τοῖς μὲν ἄλλοις . . . ἐπισταμένους* pro genuinis habet, post *ἐπισταμένους* collocandam esse. Quoniam autem in oratione 2 suo loco mota est, haec transpositio ratione

careret, si interpolator nescio quis nihil praeterea in genuino textu correxisset, nisi ut locum illius sententiae mutaret.

Itaque ad eam suspicionem adducimur, ut etiam *μηδὲ τοὺς τοῖς μὲν ἄλλοις . . . φέρειν ἐπισταμένους,* quae in antidosi omittuntur, interpolata esse coniiciamus, quamquam negari nequit, Isocrateam rationem eis haud male affectari (cf. or. 12, 30 ss.).

Quae cum ita sint, cum longe plurimis locis, qui in orationis 15 codicibus non leguntur, aliquid offensionem habeat, temerarium non videtur, Benseleri opinionem sequi, qui illos pro spuriis habeat et genuinum verborum statum in oratione 15 exstare putet. Si vero cui minus meam argumentationem probavi, eam certe veniam spero me impetravisse, quod, cum de oratione prima disputabam eiusque compositionem cum hac secunda oratione comparabam, eum secundae orationis contextum, qui mihi videretur sincerus, mihi sumpsi.

Curriculum vitae.

Carolus Guilelmus Ferdinandus Jahr natus sum in vico Saxo-Borrusso, cui nomen est Punkwitz, a. d. XVI. Cal. Mart. anni p. Ch. n. 1858, patre Ferdinando, matre Lauretta, de gente Weise, quorum illum etiam nunc vivere valde gaudeo, hanc praematura morte me vix paucos dies nato abreptam esse vehementer doleo. Fidei addictus sum Evangelicae. Litterarum elementis imbutus a patrii vici magistro Busch et pastore Born gymnasium Numburgense ab anno undecimo usque ad tertium decimum, deinde scholam Portensem per quinquennium et sex menses frequentavi, donec auctumno anni 1876 testimonio maturitatis instructus Halas me contuli, ut in universitate scholas audirem, quod tamen facere stipendia militaria valde prohibebant. Anno post universitatem Berolinensem adii, ubi per annum lectionibus interfui vv. ill. Ad. Kirhoff, Vahlen, Huebner, Treitschke, Droysen, Zeller, Paulsen, Robert, Mueller. Postremo Halas Saxonum redux factus per quinquies sex menses didici apud vv. clarr. Credner, Dittenberger, Droysen, Duemmler, Haym, Hiller, Keil, Kirchhoff. Seminarii philologici sodalis fui ter sex menses sub anspiciis vv. ill. Dittenberger, Hiller, Keil. Ut denique exercitationibus geographicis per annum interessem Kirchhoff, v. c. benigne permisit.

Quibus viris optime de me meritis cum omnibus tum E. Hillero, benevolentissimo studiorum meorum adiutori, gratias nunc ago quam plurimas.

THESES.

I.

In Sophoclis fabula, q. i. Oedipus Coloneus, vv. 380. 381 sic emendandos censeo:

Ὡς αὐτίχ' αἱρήσων τὸ Καδμείων πέδον
Τιμὴν καθέξων, ἢ πρὸς οὐρανὸν βιβᾷ.

II.

In eadem fabula vv. 797, ss. sic legendos propono:

ἀλλ' — οἶδα γάρ σε ταῦτα μὴ πείθων, — ἴτω·
ἡμᾶς δ' ἔα ζῆν ἐνθάδ'· οὐ γὰρ ἂν κακῶς
οὐδ' ὧδ' ἔχοντες ζῷμεν, εἰ τερποίμεθα.
ΚΡ. Πότερα νομίζεις δυςτομεῖν ἔμ' ἐς τὰ σὰ,

e. q. s.

III.

Euripidem in tragoedia, q. i. Helena, quamquam res, quas ante fabulam actas in prologo narrantem facit Helenam, ab Stesichoro et Herodoto mutuatus est, ipsius fabulae argumentum de suo ipsius fingendi ingenio sumpsisse contendo.

IV.

Institutio geographica non recte sic tractatur in gymnasiis, ut nova addiscere in inferioribus classibus, repetitionibus tantum operam dare in superioribus pueri jubeantur.

Corrigendum.

Non recte (p. 17) dixi Iones non usurpasse adiectivum *καλὸς κἀγαθὸς,* quoniam fugit me locus Herodoteus qui extat in libro II, 143: *πίρωμις δέ ἐστι κατ᾽ Ἑλλάδα γλῶσσαν καλὸς κἀγαθός.* Nihil tamen probabilitatis hoc errore remoto ei, quam de substantivo *καλοκ᾽αγαθία* institui, quaestioni detrahitur.

Corrigendum.

[illegible]


3 0112 023804260